

TRACTATUS V.

DE V PRAECEPTO

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 8.

«Non occides» Exod. xx. 13.

565. — Post praeceptum, quo iubemur honorem debitum parentibus aliisque Superioribus exhibere, sequuntur praecepta negativa, quae prohibent ne proximum offendamus per laesionem virtutis iustitiae *commutativae*. Cfr. supra n. 292. et infra n. 644.

Proximum autem laedere possumus in vita, in persona iugata, et in bonis eius. Et quia inter temporalia bona praecipuum est vita, ideo primo loco in quinto praecepto prohibetur offensio in *vita*; in sexto deinde et nono prohibetur offensio in *persona iugata* quantum ad procreationem prolis; in septimo, octavo et decimo vetatur offensio in *bonis externis* vel *mixtis*.

Hoc quinto praecepto prohibetur *directe* et *primario* homicidium, seu iniusta hominis occisio; *indirecte* vero et *consequenter* omnis laesio corporis, quae ad homicidium conducit, puta mutilatio, vulneratio, verberatio, rixa. Huc reducitur etiam, ob connexionem materiae, occisio et mutilatio sui ipsius, quatenus sunt non tantum contra caritatem ab homine erga seipsum exercendam, verum etiam contra iustitiam Deo debitam. — Cum autem omne praeceptum negativum virtualiter includat affirmativum, ideo iubet conservationem vitae propriae et alienae.

Agemus primo loco de officiis hominis hac in re erga se ipsum, dein de officiis erga proximum. Hinc dicemus: 1° de officio sustentandi propriam vitam atque de suicidio; 2° de homicidio punitivo malefactoris; 3° de homicidio defensivo iniusti aggressoris; 4° de homicidio voluntario et casuali innocentis; 5° de illo homicidio ex condicto, quod dicitur duellum; 6° de bello.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE SUSTENTANDI VITAM PROPRIAM DEQUE SUICIDIO

566. — **Principia. I.** *Unusquisque tenetur vitam suam conservare mediis ORDINARIIS.* Ratio est, tum quia tenetur seipsum diligere; tum quia vita est quoddam depositum divinitus homini concredidum, quod proinde fideliter custodire debet. Cfr. supra n. 133. II. ¹⁾

¹⁾ Ex hoc solo officio sustentandi propriam vitam mediis ordinariis tam satis sequitur illicitas abstinendi sese deliberate et directe voluntarie ab omni cibo vel potu usque dum mors inde sequatur. Hinc illicita videtur sic dictus *hungerstrike*, seu deliberata et directe voluntaria abstinentia seu inedia completa et perpetua, ab aliquibus bona quidem fide ob politicas vel alias rationes ad mortem usque instituta; idque

Dixi: *mediis ordinariis*: quia non est obligatio adhibendi media extraordinaria ac valde difficilia, qualia sunt v. g. abscissio cruris, incisio ventris ad extrahendum calculum, medicamenta ingentis pretii, domicilii seu patriae mutatio; nemo quippe tenetur vitam tanti emere, nisi persona sit valde necessaria bono communi; secus enim talia media habentur improporcionata atque moraliter impossibilia. Cfr. Marc. n. 754. Potest tamen pater, tutor, aut alius Superior membri abscissionem subditi sui iubere, si hic moderatos dolores tantum passurus sit. (n. 372.)

Ex obligatione sustentandi vitam per media ordinaria sequitur etiam *obligatio* laborandi iis qui secus vivere non possunt. Etiam aliis facile existit obligatio laborandi, aliquando ad vitandum otium, omnibus periculösum; et tandem ex obligatione conferendi ad bonum commune iuxta praecepta caritatis et leges latas. Cohaerenter ad hanc obligationem est etiam cuique *ius* ad laborem hoc sensu, quod quisque ius habeat exigendi ne iniuste a labore impediatur; insuper ex iustitia *legali* potestas publica debet quantum potest occasionem laboris procurare, si ob multitudinem eorum qui labore carent, bonum commune detrimentum patiatur. Tandem ex *caritate* privatae personae ad hoc teneri possunt. Cfr. etiam S. Thom. *Quodlib.* VII, *art.* 17 et 18.

II. *Seclusa auctoritate divina, numquam licet seipsum DIRECTE occidere.*¹⁾ Rationes sunt, quia 1° est contra legem naturalem, uti patet ex inclinatione naturali, qua omne animal seipsum amat, vitam suam conservat, et occidentibus resistit quantum potest; est ergo etiam contra caritatem qua quilibet debet seipsum diligere. 2° Est contra ius Communitatis cuius quilibet homo est pars. 3° Est contra iustitiam erga Deum, quia violat Dei supremum dominium, destruendo rem non suam; Deus enim homini concessit solum dominium utile vitae et corporis sui; sibi ipsi vero dominium directum reservavit, secundum illud Deuter. XXXII. 39. «Ego occidam, et Ego vivere faciam,» et Sap. XVI. 13: «Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.» Liquido etiam sequitur ex praecepto: «Non occides,» quippe quo vetetur occisio cuiuslibet, ergo et sui ipsius.

Dictum est: *seclusa divina auctoritate*: propter quosdam martyres, qui ex instinctu divino in ignem vel fluvium se proiecerunt. (n. 366. 367. S. Thom. 2. 2. qu. 64. a. 5.)

Simili ratione aliqui affirmant reum morti addictum ex praecepto iudicis posse seipsum occidere, quia in tali casu reus ab auctoritate legitima, i. e. a iudice, ergo auctoritate a divina auctoritate derivata, constituitur carnifex sui ipsius; quod probabiliter posse fieri videtur, ait S. Alf. Nihilominus alii communius id negant; quia talis actio est intrinsece mala. Stante dubio reus obedire posset, sed non tenetur. Cfr. Marc. n. 753. (n. 369.)

etiamsi praetendatur in casu directe non intendi suicidium. Cfr. Vermeersch. n. 320; N. K. St. 1921. p. 54. Pro et contra vide apud *The Irish Eccl. Record.* 1918. 1919; *The Irish Theol. Quarterly* 1921 (passim); *La Civiltà Catt.* 1920. IV. p. IV. p. 521. Cfr. etiam S. Thom. *Quodlib.* 7. a. 17 ad 6um; Vittoria, *Prael. theol. de temperantia.*

¹⁾ Directa occisio habetur, quoties quis occisionem sive ut *finem* intendit sive ut *medium* adhibet. Si vero est tantum *effectus*, etsi praevius, finis obtenti vel medii adhibiti, sive sit actionis in ordine physico effectus *per se*, sive *per accidens*, occisio est *indirecta*. Cfr. supra n. 26 et 58. Bender: *Dooden in N. K. St.* 1936. p. 139. 176. 209.

III. *Neque licet seipsum INDIRECTE occidere, aliquid agendo vel omit-tendo, unde mors secutura sit, nisi ex iusta et proportionata causa.* Ratio prioris est, quia mors voluntaria foret in causa: ratio posterioris, quia, quando ex causa honesta immediate sequuntur effectus bonus ac malus, bonusque compensat malum, licet intendere bonum atque permittere malum.

Hinc quandoque potest occurrere vitam sacrificandi *obligatio*, quando nempe virtutis exercitium iure naturali vel divino positivo obligatorium est. (n. 366.)

Iustae autem causae mortem propriam permittendi ad has duas fere revocari possunt, nempe ad quamdam necessitatem et ad exercitium virtutis.

IV. *MUTILATIO sui vel alterius DIRECTA non est licita, nisi necessaria sit ad salutem corporis: mutilatio INDIRECTA non est licita nisi ex iusta et pro-portionata causa.* Ratio prioris quia, sicut nemo est dominus vitae suae, ita nec membrorum: ratio exceptionis, quia eo in casu pars toti postponenda est; ratio posterioris patet ex dictis sub III. (n. 373.)¹⁾

Licetum ergo est per amputationem membri prospicere salutem corporis; idque non tantum si malum corpori imminet ex causa intrinseca verum etiam ex causa extrinseca necessaria, imo, ut videtur, etiam ex causa extrinseca libera. Hinc licitum est amputare membra putrida; imo manum sanam catena ligatam, ad evadendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam. Non vero est licitum exstirpare ovaria mulieris quae non nisi cum periculo mortis parere solet. Talis enim operatio in casu perficitur ad procurandam sterilitatem qua mediante *futurum* vitae periculum praecavetur. Sterilisatio autem directa nunquam est licita, quia est contra bonum speciei; ²⁾ insuper periculum alio modo averti potest, per abstinentiam sc. a copula saltem tempore foecundo; tandem, ut mutilatio directa sit licita, requiritur ut ex fine operis immediate seu proxime salutem corporis prospiciat, sive illud iam male affectatum curando, sive periculum praesens ab eo declinando. ³⁾

Licitum est ob iustam causam extrahere *partem sanguinis* etiamsi non fit ad salutem proprii corporis, dummodo fiat sine stabili ipsius nocumento; haec enim non est mutilatio, quae sc. membri amputationem aut functionis corporis suspensionem arguit. Talis iusta causa esse potest analysis sanguinis instituenda ad scientiam promovendam, vel morbi curatio; vel etiam transfusio sanguinis in corpus alienum ut sanetur; imo si quis gratis sese ad talem transfusionem praestat, opus caritatis perficit.

Pari modo licitum videtur ob iustam causam aliquid *sceminis* per punctionem vel frictionem vel aspirationem ex testiculis producere, dummodo fiat sine com-motione sexuali. Attenta enim abundantia seminis ex continua elaboratione nullum damnum sive individuo sive etiam speciei infertur. Talis iusta causa potest esse examen scientificum vel clinicum. Neque obest quod finis naturalis seminis sit generatio; non enim agitur de fine alicuius actus seu motus seu operationis natu-ralis sed de fine *rei* seu *operis semel constituti*. (cfr. vol. I. n. 3 nota marg. 1.) Non

¹⁾ Cfr. S. Thom. 2. 2. qu. 65. a. 1.

²⁾ Cfr. dicenda infra n. 568.

³⁾ Cfr. Wouters. I. n. 526. Coroll. II; Merkelbach. *Quaest. de embryologia et de sterilitate. Series altera.* 1937. p. 73.

autem liquet cur semen, uti res est, non subesset libero hominis dominio, uti sanguis eius, salvo bono individui et speciei. Nulla enim in tali casu occurrit « inordinatio circa ipsam emissionem seminis » seu « circa vitam hominis in potentia propinqua », (S. Thom. *De Malo qu. XV a. 2.*) neque ergo generatio, idest ipse actus generationis, impeditur. ¹⁾ Non tamen licet semen extrahere ad perficiendam foecundationem artificialem proprie dictam, uti dicitur *vol. II n. 896 qu. 7*; caeterum semen tali modo obtentum iuxta peritos parum aptum esset foecundationi artificiali efficiendae. ²⁾

NOTA. Quoad poenas ecclesiasticas suicidii et mutilationis cfr. can. 985. n. 5 (irregularitas de qua cfr. *tom. II. n. 606*); can. 1240. n. 3; 1241; 2339 (privatio sepulturae ecclesiasticae de qua cfr. *tom. II, n. 1097. 1098*); can. 2350. § 2; 2354 (exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis etc.)

567. — **Resolutiones. I. De temeraria vitae suae expositione.** Graviter peccant illi, a) qui levibus de causis se coniecerunt in discrimen mortis, quales sunt fumambuli, in altissimis locis super funem deambulantes, corpusque volutantes, et alii similes circulatores; nisi viribus et dexteritate adeo polleant, ut prudentis arbitrio non sit probabile periculum mortis. (n. 369.) Similiter viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria ita agunt, puta in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera extraordinaria ferendo, etc.

b) Qui morbo periculoso laborantes noxia et vetita sumunt: item, qui intemperanter vivunt, cum certo eoque praevisto vel a peritis medicis praedicto periculo mortis notabiliter accelerandae; cuius peccati non raro rei sunt luxuriosi et ebriosi; item qui abusui habituali morphii, opii, cocaini indulgent.

II. De licita vitae suae expositione ex causa gravi. Quum ex causa necessitatis liceat vitam suam periculo exponere, ideo a) non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta laborant et circumeunt, ubi opus est; nec fabri ferrarii, ferri aut vitri confectores, qui quotidie ignem versando aut vitrum inflando vitam sibi minuunt.

b) Licet, fervente incendio, si non suppetat alia evadendi via, e fenestra desilire, praesertim, si appareat aliqua spes vitam salvandi; quia prosiliens directe non intendit mortem suiipsius, sed fugit tantum incendium, quae fuga est medium evadendi mortem duriorum. Idem reis in carcerem detentis permittitur, ad certam capitis sententiam vel etiam carcerem perpetuum vitandum. (n. 367.)

c) Licet militibus in mari bellantibus navem submergere vel incendere, ne in manus hostium veniat cum gravi detrimento patriae; quia hoc pacto pro bono publico mortem suam permittunt, non vero directe intendunt. (n. 367.)

III. De vitae suae expositione ex virtute. Ob exercitium virtutis a) licet inter infideles aut haereticos Evangelium praedicare, cum probabili periculo mortis, si notabilis fructus speretur. Licet quoque tempore persecutionis non fugere, et martyrium exspectare.

b) Reus, quamvis possit, non tamen tenetur fugere; imo potest se sistere iudicii plectendum, etiamsi capitis damnandus sit. (n. 369.)

c) Fas est ictui hostis se obicere ad vitam Principis, parentis, vel etiam amici conservandam. (n. 366.)

¹⁾ Alter Hürth in *N. R. Th.* 1946. p. 417.

²⁾ Cfr. Mullin in *Clergy Review.* 1948. p. 359.

d) Licet ex caritate infirmos invisere morbo contagioso affectos, eisdem inservire, Sacramenta ministrare, non obstante infectionis periculo. (n. 366.)

e) Potest aliquis permittere se occidi ab invasore, etiamsi possit illum confodere, ne aggressor moriatur in peccato. Item, in naufragio potest quis tabulam alteri concedere, et committere se undis, etsi non sit spes evadendi; non enim directe se occidit, sed omittit dumtaxat vitam suam tueri. Non liceret vero proicere seipsum in mare ad sospitandum alterum, nisi ob natandi peritiam spes salutis adesse iudicetur. (n. 366. H. A. n. 1.)

f) Virgo potest, ad castitatem suam ab invasore tuendam, mortis periculo se exponere. Probabilius tamen per se non tenetur cum mortis periculo externe resistere, sed sufficit passive sese habere, modo voluntate positive copulae adversetur; quia non est cooperatio formalis, sed materialis tantum, quae ob periculum mortis satis excusatur. In praxi vero resistentia etiam externa ordinarie suadenda erit ob periculum consensus. (n. 368.) Dico *ordinarie*, si enim femina oratione se muniat, si abhorreat a copula vel ab invasore, periculum facile fiet remotum. (Cfr. supra n. 32.)

g) Verecundia excusat virginem aegrotantem ab attrectatione medici vel chirurgi subeunda in verendis pro infirmitatis suae curatione, si hoc ei gravissimum foret ac veluti mors horrore esset; tenetur tamen permittere attrectationem personae eiusdem sexus. (n. 367. 372. H. A. n. 1 et 2.)

h) Licet carnem ieiuniis et macerationibus moderate affligere, ut spiritui subiciatur, etiamsi praeter intentionem vita per aliquot annos brevietur. Attamen ut moderatio adhibeatur, consilio prudentis Superioris vel Confessarii fieri debent. (n. 371. H. A. n. 2.)

IV. De vitae suae expositione ex praecepto. Hoc praeceptum existit, a) si quis sub poena mortis iubeatur fidem abnegare, vel quodcumque peccatum, mortale praesertim, committere; tunc enim tenetur potius mortem acerbissimam subire.

b) Quando proximus est in *extrema* necessitate spirituali. Pastores animarum tenentur etiam in *gravi* subditorum suorum necessitate, maxime tempore epidemiae vel persecutionis. Consule dicta n. 351.

c) Pro bono communi patriae milites iussi tenentur persistere in statione, arcem oppugnare, et similia peragere, quamvis certo occidendi sint. (n. 366.)

V. De castratione. a) Non licet castrare seipsum, nec permittere eam mutilationem in se fieri, ad castitatem conservandam et tentationes sedandas; quia tale remedium nequaquam est ad hoc necessarium; satis enim est non consentire, ad quem finem multa alia remedia suppetunt. Confirmatur ex Concilio Nicaeno I. *can. 1*, quod mutilationem illam detestatur. Cfr. 2. 2. *qu. 65, a. 1.* (n. 373.)

b) Nec licet pueros castrare ad vocis suavitatem in eis conservandam, etsi absit periculum vitae, puta ante pubertatem, et pueri consentiant, ob pingue lucrum quod ipsis procurabit; nam homo non est ita membrorum sui corporis dominus, ut assentiri valeat abscissioni alicuius ex illis, praeterquam si totius corporis salus et conservatio aliter obtineri nequeat. Deinde, si pro bono animae id non licet, quanto minus pro lucro temporali. Opinio mitior nonnullorum antiquorum hodie obsoleta est. (n. 374; Bened. XIV. *de Syn. lib. XI. c. 7. n. 3 et 4.*)

c) Non est licita castratio ne a parte quidem auctoritatis civilis, ob fines sociales, eugeneticos, mere praeservativos. Quoad fines eugeneticos constat etiam

ex Enc. *Casti Connubii* 31 Dec. 1930¹⁾ et ex decr. S. Off. 21 Martii 1931.²⁾ Cfr. etiam dicenda de sterilizatione stricte dicta.

d) Licita est castratio si prodest sanitati corporis; hinc etiam fieri potest licita si agatur de psychopathicis qui morbida quadam inclinatione sexuali laborant quando castratio effectum non mere psychologicum sed effectum physicum in fundamentum somaticum seu corporale ipsius abnormitatis psychicae habet. Attamen nec tunc auctoritas civilis videtur habere ius imponendi castrationem ad tuendam publicam securitatem; quum cura de salute corporali sit ius personale inalienabile.

e) Licita est castratio per modum poenae ab auctoritate civili infligenda, servatis iis quae ad iustitiam poenae cruentae in genere requiruntur. Confirmatur aliquatenus praxi olim aliquando vigente.

569. — QUAERITUR, an licita sit sic dicta sterilizatio stricte sumpta.³⁾

Praen. Sterilizatio stricte dicta prout distinguitur a castratione, est illa actio qua homo non sublatis glandulis germinativis sterilis seu impotens ad generandum redditur.⁴⁾ Est aut directa aut indirecta. Directam dicimus quando ipsa sterilitas qua talis seu ipsa impotentia generandi est obiectum actionis ex fine sive operis sive operantis. Sterilitas autem vi vocis includit respectum ad prolis impeditionem ita ut haec necessario ex fine sive operis sive operantis intendi debeat, ut habeatur sterilizatio directa. Sterilizatio indirecta habetur quoties praeter effectum impeditionis prolis, non intentum, habetur alius effectus intentus et non mediante impeditione prolis obtinendus.⁵⁾ Sterilizatio directa variis modis perficitur: via chirurgica, specie per vasectomiam in viro seu divisionem vasis deferentis i. e. canalium per quos semen humanum a testiculis et epididymis in ductum ejaculatorium transmittitur; et per oophorectomiam (salpingectomiam, falletomiam) in muliere seu per divisionem oviductus, ita ut ovulum iam nequeat transmitti ex ovaris in uterum nec semen virile ad ovaria penetrare; via chimica, inducendo in organismum determinatas materias chemicas vel bio-chemicas; via radio-activa, applicando ad glandulas germinativas determinatos radios.

Resp. Dist. 1° Sterilizatio directa sive perpetua sive temporanea intrinsece illicita est ex quocumque fine fiat, atque auctoritate sive privata sive publica; nisi forsitan, theoretice saltem, quando in poenam delicti infligeretur. Constat illiceitas ob finem eugenicum ex litt. enc. Pii XI *Casti Connubii* 31 Dec. 1930⁶⁾, atque ex decr. S. Off. 21 Martii 1931⁷⁾; illiceitas in genere constat ex decr. S. Off. 22 Febr. 1940⁸⁾.

Sterilizatio *directa* est illicita si auctoritate *privata* suscipitur, quia homo in proprii corporis membra habet tantum domicinium utile seu facultatem

¹⁾ A. A. S. 1930. p. 564-65.

²⁾ A. A. S. 1931. p. 118-119.

³⁾ Cfr. Merkelbach. *Quaestiones de embryologia et de sterilizatione*; van Rooy O. F. M. *Het onvruchbaar-maken van den mens*. p. 128; Mulder. *Sterilisatie*, N. K. S. 1934. p. 111. 140. 162.

⁴⁾ Num tali modo sterilizatus etiam impotens dicendus sit ad copulam per se aptam ad generationem, ita ut matrimonium inire non possit, vide tom. II. n. 716. qu. 3.

⁵⁾ Saepe verbum sterilizationis adhibetur non formaliter sed materialiter pro ipsa mutilatione functionalis ex qua sterilitas sequitur, sed sine respectu ad istum effectum, ita ut aliquando directa vocetur sterilizatio hygienica, mutilatio sc. functionalis apparatus genitalis applicata tamquam medium ad sanitatem recuperandam. Noster modus dicendi sensui verbi et decr. S. Off. 22 Febr. 1940 magis conformis esse videtur.

⁶⁾ A. A. S. 1930. p. 564-65.

⁷⁾ A. A. S. 1931. p. 118-119.

⁸⁾ A. A. S. 1940. p. 73.

illis utendi in ordine ad naturales eorum fines, non vero dominium plenum seu tam perfectum ut ea directe destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptum reddere valeat, nisi quando bono totius corporis aliter providere nequeat. ¹⁾ Atqui sterilizatio directa numquam bono corporis providere potest; impeditio enim prolis quam intendit nullam vim sanandi corpus habet; nec ullum periculum praesens a corpore avertit; nec est necessaria, quum periculum futurum per abstinentiam praecaveri possit; atque tandem et maxime, est contra bonum speciei, quod maius bonum est bono individui, neque ad bonum corpus (individui) ordinatur, sed soli Dei dominio subest.

Neque *publica auctoritas* sterilizationem directam imponere potest nisi forsitan per modum poenae. Nam ius ineundi matrimonium et prolem procreandi, ius in vitam et integritatem membrorum cuique in individuo competunt ab ipsa natura tanquam iura primaria, primigena et societati antecedentia; nequit igitur potestas publica, ubi nulla adest poenae causa, haec iura directe frustrare vel directam potestatem in vitam et integritatem membrorum exercere. ²⁾ Bono utique communi auctoritas publica consulere debet; sed hoc fieri nequit tollendo primaria privatorum iura; e contra ipsum bonum commune potius postulat, ut haec iura a publica auctoritate positive protegantur. Accedit quod non desint alia media quibus sanitas generis humani promoveri possit. ³⁾

Excipitur forsitan, theoretice saltem, si sterilizatio directa *per modum poenae* infligeretur. Si enim potestas civilis delinquentem vita ipsa privare potest, a fortiori videtur eum privare posse potentia generandi. Sed saltem non expedit, quia non est poena conveniens, utpote pluribus potius exoptata, ita ut cum damno etiam societatis dein iam impune libidini vacare valeant. ⁴⁾

II. Sterilizatio *indirecta* fit licita quando peragitur cum consensu sterilizandi atque necessaria vel saltem valde utilis est corporis sanitati quae nequit aequae bene restitui alio remedio cui non est annexus effectus malus et in se vitandus qualis est sterilitas. Ratio est quia ob causam iustam et proportionatam licitum est ponere actionem cum duplici effectu, uno bono (sanitatis restitutio), altero malo (sterilitas) dummodo solus bonus effectus intendatur neque solum mediante effectu malo obtineatur; requiritur tamen consensus mutilandi, ita ut ne auctoritas quidem publica eum ad hoc constringere possit, neque etiam, ut videtur, via alternativa inter mutilationem et privationem libertatis.

¹⁾ Ita Enc. *Casti Connubii* l. c.

²⁾ Cfr. Enc. *Casti Connubii* l. c.

³⁾ Cfr. Boganelli. *De coacta sterilizatione in Apollinaris* 1936. p. 58 ubi etiam lex de hac re in Germania lata traditur.

⁴⁾ Non ob stare videtur Decr. S. Off. 22 Febr. 1940, ubi sterilizatio directa lege naturae prohibita declaratur, quin diserte dicatur casum sterilizationis directae per modum poenae a Decreto non considerari. Decretum enim remittit ad Decr. 21 Martii 1931; istud autem ad Enc. *Casti Connubii* ubi S. Pontifex de industria ab hac quaestione tractanda abstinuit; non autem apparet S. Off. ulterius voluisse procedere. Unde coniecturari licet S. Off. noluisse intrare et multo minus solvere hanc quaestionem inter theologos agitatam. Ita in Adnot. ad Decr. in *Per. de re mor.* 1940. p. 149. c. Cfr. etiam *Apollinaris* 1940. p. 12.

Hinc: 1° licitum est adhibere radios a Röntgen nominatos ad impediendam vel deprimendam functionem testicularum, si inde speretur sanatio morbidae inversionis vel vehementiae morbidae libidinis sexualis, etiamsi ex tali cura aequae immediate sequatur sterilitas non intenta. Non tamen imponi posse videtur talis cura ab auctoritate civili, etsi agatur de sanitate recuperanda, ut supra dictum est de castratione, quamvis agatur de sola sterilizatione indirecta.

2° Licitum est applicare eosdem radios ovariis ad impediendam ovulationem tamquam medium ad impediendam menstruationem, ut sanetur mulier quae ex excessivo fluxu sanguinis occasione menstruationis nimis debilitatur, etsi mulier inde aequae immediate sterilis fiat.

3° Licita est radiotherapia ad sanandum ovarium carcinomate affectum, etsi aequae immediate ac ulcus reprimatur, sterilitas efficiatur.

III. Sterilizatio directa, atque etiam indirecta, si fit sine causa sufficiente sanitatis recuperandae, graviter peccaminosae sunt, quia sterilizatio mutilatio notabilis censi debet; quoniam quidem momentum mutilationis non solum diudicandum est ex gravitate eius materialiter spectata, verum etiam ex gravitate functionis qua hominem privat. Porro sterilizatio efficit ut homo iam prolem procreare nequeat: a. v. ut gravissima functione orbetur. Insuper oophorectomia laesio etiam materialiter gravis esse videtur.

CAPUT II

OCCISIO MALEFACTORIS

569. — **Principia.** I. LICITUM EST *occidere malefactores bono communi noxios*. Ratio est, quia singuli homines se habent ad communitatem sicut membra ad corpus; unde, sicut licet membrum noxium praescindere ob salutem corporis, eadem ratione licet malefactores praescindere ob salutem Reipublicae. Praeterea sic exposcit civium securitas; quia experientia docuit poenam mortis unicum remedium esse, quo homines improbi efficaciter a criminibus retrahantur; unde sine illa poena homicidia non satis vindicantur, neque societas humana contra ea satis protegatur. Ideo Deus praecepit in Gen. IX. 6: « Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundatur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo; » et in Num. xxxvi. 33: « Nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. » Christus similiter apud Matth. xxvi. 52 edixit: « Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt; » et in Apoc. XIII 10 legimus: « Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. » Hinc etiam legitur in ep. ad Rom. XIII. 4 de publicam potestatem habente: « Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. »

II. SOLA AUCTORITATE PUBLICA, *non privata, licitum est malefactores occidere in vindictam*. Ratio est, quia occidere malefactorem licitum est

in quantum spectat ad salutem totius Communitatis; ergo ad illum solum pertinet, cui cura Communitatis commissa est; cura autem boni communis commissa est Principibus auctoritatem publicam habentibus; ideo eis solis licet malefactores occidere, non autem privatis personis. (n. 376. S. Thom. 2. 2. qu. 64. a. 3.) Hinc vindicta illa popularis quae *lynch* dicitur in societate semel constituta admitti nequit.

III. *Regulariter non licet reos occidere, nisi prius IURIS ORDINE SERVATO, sententia iudicis condemnati fuerint.* Ratio est, quia ius naturae postulat ut audiatur in sui defensionem, et non nisi iuridice convictus condemnetur.

Nihilominus in nonnullis casibus admittitur exceptio, nimirum si delictum est notorium, si esset periculum seditionis, aut dedecus Regis. (n. 377.)

Notandum superest, quod iudex tenetur sub gravi concedere capite damnato tempus sufficiens ad Confessionem, et etiam, nisi grave damnum timeatur, ad Viaticum; in articulo mortis enim Communio iure divino obligat. (n. 379.)

570. — Quaestiones. QUAER. 1° *An milites aut satellites, iussi comprehendere et custodire sontem, possint eum aufugientem vel resistantem occidere.*

Resp. Negat., etiamsi iam esset ad mortem damnatus; nisi ex speciali Principis licentia. Sequitur ex dictis. (n. 380.)

QUAER. 2° *An umquam liceat tyrannicidium.*

Resp. 1° Numquam fas est occidere sive tyrannum *in regimine*, sive tyrannum *in titulo*, QUI REGNUM PACIFICE POSSIDET; quia nulli licet, nisi publicam habeat auctoritatem, occidere maleficum, quantumvis iniquum; unde in Concilio Constantiensi damnata est haec propositio de tyranno in regimine: « Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum vel subditum. » Excipe tamen quoad tyrannum *in regimine*, si populus in constituendo rege ius puniendi eum etiam per poenam capitalem sibi reservasset (cfr. supra n. 563.), vel si agatur de defensione necessaria contra actualem aggressionem. (cfr. infra n. 571.) Excipe insuper quoad tyrannum *in titulo* qui nondum factus est legitimus dominus, si fiat nomine legitimae auctoritatis, id legitimo modo permittentis vel etiam praecipientis, ut si *proscriptus* declaretur.

2° Nec licet occidere iniustum invasorem seu tyrannum *in titulo*, QUI NONDUM EST IN POSSESSIONE REGNI, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut propter iustam defensionem, aut in actu belli Reipublicae adversus ipsum; alioquin enim nemini licet privata auctoritate occidere quemquam. (H. A. n. 13.)

CAPUT III.

OCCISIO INIUSTI AGGRESSORIS

571. — De homicidio defensivo, quod dici etiam solet *necessarium*, quaerimus num et quomodo licitum sit ad defensionem 1^o vitae, et integritatis membrorum, 2^o bonorum fortunae, 3^o castitatis, 4^o honoris et famae, 5^o proximi.

Principia. I. Defensio vitae et integritatis membrorum. *Cuivis licitum est iniustum aggressorem occidere ob defensionem VITAE SUAE et INTEGRITATIS MEMBRORUM SUORUM, dummodo fiat cum moderamine inculpatae tutelae.* Ratio est, quia quisque habet ius tuendi vitam suam et integritatem corporis sui, et quidem magis providendi vitae suae, quam vitae alienae; nullus ergo tenetur defensionem suiipsius praetermittere ad evitandam occisionem alterius. Neque obstat aeterna damnatio inuasoris; haec enim non ex culpa sese defendentis, sed ex propria malitia ei accidit. — Non tamen licitum videtur *directe* mortem inuasoris *intendere*, eo modo quo auctoritati publicae licitum est *directe* intendere mortem malefactoris in poenam eius delicti; ¹⁾ verum dicendum potius cum S. Thoma, mortem inuasoris tantum permitti posse *tamquam effectum defensionis.* ²⁾

Dictum est 1^o *cuivis*: nempe sive laicus est, sive Clericus, sive Religiosus: et quidem quocumque loco, etiam in ecclesia, et tempore divinorum Officiorum.

Dictum est 2^o *licitum est*: nemo quippe *tenetur* tam cruento medio vitam suam tueri; imo actus caritatis est mortem amplecti, ne aggressor vita temporali simul ac aeterna privetur. Quandoque tamen inuasus *tenetur* se defendere, nimirum 1^o si ipsemet esset in statu peccati mortalis; 2^o si esset persona, a qua bonum commune vel familiae dependeat, puta Princeps, paterfamilias.

Dictum est 3^o *cum moderamine inculpatae tutelae*: id est, ut id tantum efficiatur, quod necessarium est ad propulsandam aggressionem; quia quod necessitas non excusat, non defensio, sed vindicta dici debet. Unde, si inuasus possit se sospitare fugiendo, aggressorem exarmando, vulnerando, mutilando, non possit eum occidere. Miles tamen non tenetur fugere, cum fuga probrosa sit militi; idem dicunt DD. de viro nobili; sed nostra aetate, cum nobiles non iam, ut olim, arma gestent, fuga illis non magis quam aliis ignominiosa est. (n. 380. 381. S. Thom. 2. 2. qu. 64. a. 7.)

Idem dicendum videtur de defensione *libertatis*, saltem eo in casu quo quis secus durae servituti vel diuturnae captivitati iniuste traditur; quamvis pauciores numero id expresse doceant. ³⁾

¹⁾ Ita tenet Lugo. *De iust. et iure. disp. X. n. 149.*

²⁾ 2. 2. qu. 64. a. 7; cfr. Billuart. *De iure et iust. diss. 10. a. 5*; Prümmer. n. 120; Vermeersch. n. 607.

³⁾ Ita tenent d'Annibale. II. n. 282; Cathrein. *Theol. mor.* n. 373; Piscetta-Gennaro. III. n. 213.

II. Defensio bonorum fortunae. *Licet quoque occidere iniustum invasorem BONORUM MAGNI VALORIS, si aliter servari aut recuperari nequeunt.* Rationes sunt, quia 1° bona fortunae vitae humanae admodum necessaria sunt, utpote sine quibus vita aut simpliciter aut saltem commode sustentari nequit; ideo alter hominis sanguis vocantur; 2° etsi vita proximi praeferenda sit bonis temporalibus, quando proximus in necessitate versatur, id tamen necesse non est, quando bona iniuste praedari attentat.

Dictum est 1° *bonorum magni valoris*: quia vita hominis nimis parvi penderetur, si *damnum exiguum* cohonestaret occisionem iniusti aggressoris. Ideo iure merito Innoc. XI. damnavit prop. 31: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. » Quando autem bona sint magni momenti, ex circumstantiis diiudicari debet, inspectis tum personarum opulentia vel indigentia, tum ipsarum rerum necessitate vel superfluitate.

Dictum est 2° *si aliter SERVARI nequeunt*: quia praefatum ius defensionis non competit, nisi circa bona, quae revera possidentur; non vero circa ea, ad quae ius inchoatum habetur, et quae possidenda sperantur; quia tunc homo non esset defensor, sed aggressor, siquidem non vim illatam repelleret, sed ipsemet vim inferret. Cfr. prop. 32. et 33. ab Innoc. XI, et prop. 18. ab Alexandro VII damnatas.

Dictum est 3° *si aliter RECUPERARI nequeunt*: quia, si fur bona rapta asportet, et praemonitus de suo periculo dimittere nolit, vel ea iam in tuto posita defendere velit ne recuperentur, licet furem, si non sit alia ad recuperandum via, interficere; quia violenta retentio continuata rapina est. (n. 383.)

III. Defensio castitatis. *Etiam pro defensione CASTITATIS licet aggressorem occidere, si alia via non suppetat se defendendi.* Ratio est, quia castitas meritissimo pluris aestimatur quam divitiae; quo accedit periculum consentiendi in delectationem concubitus dum admittitur; quare, si licet aggressorem facultatum occidere, multo magis licebit invasorem castitatis interficere.

Quoad actus *imperfectos* advertendum est, puellam, non solum dum violenter tangitur a protervo, sed et continuo post licite posse eum percutere alapis, pugnis, fuste et ictibus non periculosus; imò haec agendi ratio ipsi consulenda est; quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, alter non facile discedet, aut alio tempore redibit. (n. 386.)

IV. Defensio honoris et famae. *Pro defensione HONORIS vel FAMAE regulariter NON LICET iniustum aggressorem occidere.* Ratio est, quia regulariter suppetunt alia media tuendi honorem suum vel famam, puta retorsio verbalis, actio coram tribunali; atque insuper, si liceret in casu occidere, facile excessus in defensione committerentur, idque cum periculo vindictae atque ut via panderetur multis caedibus. Hinc ab Innoc. XI damnata est prop. 30: « Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si

quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. » De illiciteate vindictae privatae cfr. supra n. 344.

Aliquando tamen, si quis *factis* gravem contumeliam intentet viro honorato, e. g. si velit alapam impingere, fuste percutere, DD. admittunt defensionem mortiferam, si aliter tantam ignominiam vitare nequeat; quia, si licet occidere invasorem bonorum temporalium, licitum potiori iure erit occidere iniustum aggressorem honoris, qui multo pluris aestimatur quam divitiae. Haec doctrina speculative vera apparet; sed vix umquam poterit in praxim traduci; nam ordinarie vel iniuria illata erit, et tunc esset actus vindictae, qui reprobatur in prop. cit., vel vix non immoderata erit defensio. (n. 381. H. A. n. 14.)

Non tamen videtur semper stricte prohibitum invasorem honoris *statim* post contumeliam illatam *parsi* quam ipse intulit *iniuria* afficere atque hoc modo honorem perditum sibi recuperare, si quis eum per iudicem commode sibi recuperare non possit (uti facile obtinet in minoribus iniuriis) atque simul in communi hominum aestimatione censeatur honore privatus, quando contumeliam non statim retribuerit. Tunc ex quadam epikeia loco iudicis quasi per modum poenae cuiusdam medicinalis invasor dicto modo castigari sine peccato poterit. Id vero omittere ordinarie quidem magis evangelicae perfectioni conforme erit. Cfr. Matth. v. 38 *sequ.* Dicimus *statim*; si enim omnino postea fieret, mera vindicta illicita foret. Cfr. Marc. n. 737. iv. a; Noldin. n. 334; Vermeersch. n. 608; Génicot. *Casus Consc.* n. 151.

V. Defensio proximi. *Etiam pro defensione PROXIMI licitum est iniustum aggressorem occidere, sicut pro defensione suiipsius.* Ratio est, quia lege caritatis licitum est facere pro aliis, quod pro seipso quisque potest; propterea licet partes innocentis suscipere.¹⁾

Hinc sequitur, etiam ad defensionem *bonorum* et *castitatis* proximi posse invasorem occidi; modo tamen proximus opem quodammodo imploret, nam in istis *consentienti* non fit iniuria. Atvero quamvis persona invasa raptui consentiat, si propinqua cognatione coniuncta est, licebit eius castitatem defendere; quia tunc communis est iniuria. *Vitam* proximi semper fas est defendere; quia, quamvis proximus morti consentiat, non est tamen vitae suae dominus, et ideo non valet aliis ius se defendendi adimere. (n. 388-392.)

572. — Quaestiones. QUAER. 1° *An liceat amentem vel ebrium occidere si vitam aggrediatur.*

Resp. Affirm., ius enim defensionis nascitur, non ex iniustitia aut peccato alterius, sed ex eo quod natura unumquemque sibi commendat; quare, etiamsi ille peccato careat, non ideo tollitur ius se tuendi, cum sufficiat quod quis non teneatur id, quod alter intendit, pati. Excipe tamen, si certo constaret aggressorem in statu peccati mortalis esse, invasus vero esset in statu gratiae; tunc namque aggressor foret in extrema necessitate spirituali. Ita Lugo. *De iustitia. disp.* 10. n. 143; Grotius. *De iure belli. lib.* 2. *cap.* 1. n. III; Lessius. *lib.* 2. *cap.* 9. n. 42; Molina. *De iustit. tr.* 3. *disp.* 15. n. 7. (n. 390 *in fine.*)

¹⁾ Multo magis videtur licitum in actu aggressionis cum caede cruenta defendere honorem religionis, ut si impii res sacras graviter atque impune profanare suscipiunt; nisi inde maiora mala timenda sint.

QUAER. 2^o *An liceat paratum ad vitam aggreddendam praevēnīre.*

Resp. Dist. Negat. in actu remoto aggressionis, e. g. si quis norit inimicum insidias sibi parare; quia necdum ullam vim infert, quae vi repelli debeat, et regulariter poterit alia ratione declinari.

Affirm. in actu tam proximo aggressionis, ut ea moraliter censeatur incepta, e. g. si adversarius sclopetum arripit ut explodat, vel pugionem ut feriat, et non sit alia via evadendi; quia tunc est vera defensio eo ipso quod, nisi quis occidere volentem praevēniat, merito timendum est ne sera futura sit defensio. Extra tam proximam aggressionem praeventio vix umquam in praxi licita erit, tum ob periculum hallucinationis, tum quia raro continget ut desit alius modus evadendi. (n. 387. H. A. n. 19.)

QUAER. 3^o *An aliquando sit OBLIGATIO defendendi proximum contra iniustum aggressorem.*

Resp. 1^o Generatim loquendo, quisque tenetur ex lege caritatis succurrere proximo vim iniustam patienti et auxilio indigenti, si sine gravi incommodo opem ferre possit. Quodsi accedat officii vel pietatis ratio, crescit obligatio, ita ut etiam cum gravi incommodo auxilium praestandum sit; sic tenentur milites et custodes, qui ad hoc conducti sunt; sic quoque propinqua cognatione coniuncti.

2^o Loquendo de defensione *mortifera*: a) nemo tenetur alterius vitam tueri cum propriae vitae periculo; nisi vita Principis invaderetur, a quo pendeat boni communis conservatio. b) Secluso propriae vitae periculo, neque exstat obligatio *caritatis* vitam proximi defendendi caede aggressoris; quia caritas non obligat tanto onere, inquinandi nempe manus suas humano sanguine, et subeundi gravia incommoda, puta inimicitias, publicam iustitiam, quae ex homicidio etiam licito oriri solent. Dixi: *obligatio caritatis*: quia *ex officio* tenentur milites et custodes ad securitatem civium conducti; imo, cum agitur de bono communi, si nempe latrones insectandi sint, tenentur etiam cum periculo vitae. Deinde *ex pietate* tenentur cognati in primo gradu, puta si invasus esset parens, filius, uxor, frater aut soror. (n. 390. H. A. n. 17.)

CAPUT IV.

OCCISIO INNOCENTIS

Agemus: 1^o de occisione innocentis generatim, 2^o de occisione foetus.

Articulus I.

Occisio innocentis generatim.

573. — Homicidium innocentis potest esse vel voluntarium, sive directe sive indirecte, vel involuntarium seu casuale.

Principia. I. *Nulli unquam licet DIRECTE occidere innocentem.* Est enim actio intrinsece mala et iniusta, cum nemo sit dominus vitae alterius; et

est lege divina expresse prohibita in Exod. XXIII. 7: « Insontem et iustum non occides. » Ergo nec etiam auctoritati publicae ob bonum commune id licitum est. (n. 393.)

Hinc ad quaesitum « num licitum sit, ex mandato auctoritatis publicae, directe occidere eos qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent eamque potius gravare eiusque vigori ac robori obstare censentur », S. Off., approbante Pontifice 2 Dec. 1940, respondit « *negative*, cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium. » ¹⁾

II. *Aliquando, gravi exstante causa, licitum est INDIRECTE cooperari ad mortem innocentis*, faciendo aut omittendo aliquid, unde praeter intentionem sequitur homicidium. Ratio est, quia quando ex actione licita immediate sequuntur duo effectus, unus bonus et alter malus, et bonus compensat malum, licet intendere bonum et permittere malum. (n. 393.)

III. *Non est reus homicidii ille, qui etiam sine causa exercet opus PARUM PERICULOSUM, ita ut RARO ex eo mors eveniat*, dummodo debitam diligentiam adhibeat ad mortem cavendam; quia tale homicidium nullatenus est voluntarium, sed omnino casuale. — Contra vero, si opus est *valde periculosum*, ita ut ex eo *frequenter* mors accidat, quantamvis adhibeat diligentiam, reus est homicidii; quia tunc homicidium est voluntarium indirecte in causa, et, cum haec posita est sine iusta et praevalenti ratione, imputabile est. (n. 398; 2. 2. qu. 64. a. 8.) ²⁾

574. — **Resolutiones.** 1° Non licet occidere lethaliter vulneratos, nec quosvis moribundos, ne diutius patiantur; neque rabidos, ne aliis noceant, si aliter a nocendo cohiberi possint. (Gury. n. 401; *Theol. prakt. Quartalschrift*, 1916. p. 802.)

2° Non licet postulare vel peragere *punctionem cordis* in defunctum, ea intentione, ne forte vivus sepeliatur. Ubi vero indubia signa mortis adsint, medico non est illicitum eam peragere ad animum propinquorum, ex metu mortis apparentis perturbatum, tranquillum reddendum; modo declaret se eam non peragere nisi ex certa persuasione mortem iam locum habuisse. (Noldin. n. 339; Marc.¹⁸. n. 740.)

3° Si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, non licet eum necare, etiamsi ipse morti suae consentiat. Probabilius tamen liceret eum *tradere* tyranno, si ipsemet se tradere renuerit; quia eo casu innocens tenetur se tradere pro bono communi, ac proin, si ipse culpabiliter recuset, non est amplius innocens. (n. 393.)

4° Non licet legatos aut obsides occidere, etsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint: quia sunt innocentes. (n. 393.)

5° Peccant graviter medici, obstetrices, custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia horum mortem non impediunt, eive causam dent, vel eam accelerent. Item, si ex imperitia graviter culpabili aegrotis noxia praebeant. (Gury. n. 401.)

¹⁾ A. A. S. 1940. p. 553.

²⁾ De irregularitate quae contrahitur ex homicidio voluntario, cfr. tom. II. n. 608.

6° Licet in bello tormenta bellica in urbem obsessam dirigere, quamvis inde multi etiam innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors praeter intentionem sequitur. (n. 393.)

7° Homicidii rei sunt parentes, qui in somno suffocant infantem, quem temere secum in lecto collocarunt; dummodo tamen periculum animadverterint. (n. 398.)

8° Non licet navigantibus mari iactatis et scapha e naufragio evadentibus, ad levandam scapham, quam mergendam timent, alios in mare proicere quae qui ultimi in scapham descendentes causa sunt cur mergenda sit; hi enim soli nocentes, ceteri vero innocentes sunt. (Konings. n. 473. sub. 6°.)

Articulus II.

Occisio foetus.

575. — Praenotanda. *Foetus* est ovum femineum semine virili foecundatum; in qua foecundatione consistit *conceptio*. Ante quintum a conceptione mensem foetus dicitur *embryo*. Foetus, saltem iuxta sententiam hodie communem, statim anima rationali informatur; non vero 40 diebus post conceptionem pro masculis et 80 diebus post eam pro feminis, uti veteres Scholastici cum Aristotele docebant. ¹⁾ Solet autem per circa novem menses permanere in utero (*praegnatio* matris); post novem menses foetus est maturus et sequi solet *partus*, qui consistit in emissione foetus per vaginam. Ante septimum praegnationis mensem foetus est immaturus seu non viabilis, ita ut egressus ex utero fere semper moriatur; electio foetus immaturi ex utero matris dicitur *abortus*. Si emittitur foetus post septimum, sed ante nonum mensem, foetus est viabilis, sed praematurus, unde etiam *partus praematurus* vocatur. ²⁾ Tum abortus tum partus praematurus arte provocari possunt. Aliquando demum foetus sponte non egreditur, v. g. ob nimiam arctitudinem matris vel ob ipsius foetus situm anormalem intra vel extra uterum (foetus ectopicus seu extrauterinus.) Tunc praesertim variis operationibus chirurgicis loco suo extrahitur.

Porro, procuratio abortus mortem foetus secum ducit: procuratio partus praematuri vitam eius periculo exponit: quaevis demum extractio chirurgica sive foetus sive matris sive utriusque vitae periculum vel etiam mortem secum ducit; unde de procuratione sive abortus sive partus praematuri in genere, atque de nonnullis operationibus chirurgicis in specie dicamus oportet.

§ I. - PROCURATIO ABORTUS.

576. — Principia. I. *Numquam licet DIRECTE procurare abortum, etiamsi foetus adhuc inanimis esse supponatur.* Constat ex Constit. *Effraenatam* Sixti. V. 29 Oct. 1588, ex Decreto S. Offic. 24 Iulii 1895 et Enc. *Casti Conubii* ³⁾ Ratio est, quia, si foetus est animatus, committitur homicidium

¹⁾ Cfr. S. Thom. in 3. *dist.* 3. *qu.* 5. *art.* 2. *corp.*; S. Alf. n. 394; Revue des scienc. ecolés. *Tom.* 21. *pag.* 5; Rosset. *Prima Princ. scient.* *Tom.* 2. *pag.* 356; Revue théol. 1879. *pag.* 268; Eschbach. *Disput. physiol. theol. disp.* 3. *part.* 1; Antonelli. *Medic. past.* I. n. 138. 139. Sunt tamen qui non admittant foetum illico anima rationali informari, quum omne solidum argumentum desit, imo principia philosophiae et physiologicae observationes contrarium postulare videantur. Ita Prümmer. n. 138; Vermeersch. n. 622.

²⁾ Si haberi possit incubatio artificialis, foetus etiam post sextum mensem in vita retineri potest.

³⁾ Cfr. *A. A. S.* 1930. *p.* 562.

perfectum, eoque atrocius, quod persaepe animam simul vita aeterna privet; si nondum animatus, vivus tamen est, committitur homicidium imperfectum, quia tollitur vita hominis iam inchoata; quod ergo est magis contra naturam quam pollutio. Propterea damnata est ab Innoc. XI prop. 34: « Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. » (n. 394. H. A. n. 22. 25.)

Directe procurare est abortum velle et intendere, sive ut finem sive ut medium ad finem.

QUAERITUR autem: *An non liceat foetus immaturi eiectionem directe procurare, per media nempe quae non directe foetum laedunt, sed tamen directe ad eum ex utero eiiciendum tendunt, quando mater IN PRAESENTI VITAE DISCRIMINE versatur, quod aliter auferri nequit.*

Resp. Nonnulli affirmarunt, cum non sit *directa* foetus *occisio*, sed mera permissio mortis extra uterum matris. Ita Ballerini. *Adnot. ad n. 402.*

Sed S. Offic. 24 Iulii 1895 hanc sententiam improbavit; quam resolutionem Leo XIII confirmavit. ¹⁾ Certe enim quaevis *directa* abortus procuratio est actio *directe mortifera*. Etenim abortus privat foetum officio *placentae*, qua matri adhaeret et nutrimentum sanguinisque repurgationem accipit; atqui haec duo sunt foetui ad vitam omnino necessaria; ergo foetum talibus rebus privare est vere illum occidere, quemadmodum hominem veneno vel fame interficere. Ergo *directa* abortus procuratio, quomodocumque fiat, quia *directe* ad foetum illis privandum tendit, semper est *directa occisio* ideoque semper intrinsece mala. ²⁾

II. *Aliquando licet INDIRECTE procurare abortum*, videlicet matri vita periclitanti remedia ministrando, *directe* ad eius vitam tuendam, etsi simul ac consequenter foetus expellatur, dummodo hae conditiones concurrant: 1^o non suppetat alia via ad salvandam vitam matris; 2^o remedia revera sint ex se *directe* curativa morbi, non *indirecte* per abortum; 3^o foetus per abortum non privetur rationabili spe suscipiendi Baptismum. — Ratio est, quia quando actio licita habet duos effectus, licet aequae immediatos, unum bonum et alterum malum, potest ob causam proportionatam intendi et quaeri effectus bonus et permitti malus. Neque mater tenetur vitam foetus sui praeferre vitae suae propriae. Ratio deinde ultimae conditionis est, quia ex ordine caritatis tenetur mater salutem aeternam prolis praeferre vitae suae temporali. (n. 394. H. A. n. 25. 26.) Recole dicta n. 26 et 58.

Porro abortus non privat foetum spe Baptismi, quando moraliter certum est, non adhibito remedio, illum matri non supervicturum esse, vel prudenter speratur fore ut, adhibito remedio, vivus aboriatur.

Denique, si aequale est periculum abortus, sive remedium sumitur sive omittitur, illud adhibere licet, ut patet; quia tunc, sine maiori periculo foetus, vitae matris consulitur. (n. 394.)

¹⁾ *Revue Théol.* 1895. p. 599.

²⁾ Cfr. Capellm. *De occis. foetus*, *Med. past.* p. 9-15; Eschbach. *Disp.* 4: *N. K. Stammen.* 1902. p. 2. 35. 691.

577. — **Resolutiones.** Homicidii rei sunt: a) Qui percutiunt vel terrificant mulierem praegnantem, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae, quae gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt: duro labore, gravia onera portando, pedes in aqua frigida lavando, magnum iter pedestre faciendo, vehementi tristitiae vel irae passioni indulgendo, etc. b) Puellae ex fornicatione gravidae, quae abortum attentant potionibus, saltibus, balneis, valida percussione et compressione ventris, etc.

578. — **Poenae ecclesiasticae.** 1° Sunt *irregulares ex delicto*, qui foetus humani abortum procuraverunt effectu secuto, omnesque cooperantes. (can. 985. 4°.) Hoc tamen delictum irregularitatem non parit, nisi fuerit grave peccatum, post baptismum perpetratum. (can. 986.)

Dicitur: foetus *humani* abortus; non dicitur foetus *animati*, ut in iure priori; sive ergo iam anima rationali informata creditur, sive non creditur, semper incurritur irregularitas. Ita recte Vermeersch. n. 708; Cerato. n. 164. p. 273; contra Noldin. n. 342; Augustine. IV. p. 490. — De cetero cfr. infra tom. II. n. 606.

2° Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in *excommunicationem latae sententiae* Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea *deponantur*. (can. 2350. § 1.) Explicationem censurae vide infra tom. II. 1073.

579. — **Nota pro praxi.** Feminae ex delicto gravidae plerumque a Confessario cautè interrogandae sunt de abortu eiusve tentamine. Pariter hac de re interrogandi sunt viri, qui fornicati sunt; non raro enim abortum consulunt, aut etiam remedia ad illum praebent.

§ II. - PROCURATIO PARTUS PRAEMATURI.

580. — **Principia.** I. EX GRAVI CAUSA *licet* PARTUM PRAEMATURUM *procurare*: 1) si nempe terminum naturalem praegnationis exspectando mater vel proles vel utraque periculo mortis exponeretur. Ratio est, quia tunc haec operatio meliori quo potest modo et matris et prolis saluti providet.

Id autem in tribus casibus evenit, nempe: 1° ob mulieris aetitudinem, quando propterea ab una parte partus maturus sine operatione periculosa vel mortifera fieri non poterit, puta sine sectione caesarea vel embryotomia; ab altera vero parte prudenter sperari potest fore ut foetus sine magno periculo matris vivus et viabilis praemature educi possit; 2° in morbo aliove casu periculoso matris, si salus matris partu praemature sperari queat; si enim mater moreretur ante partum naturalem, foetus pariter summo in periculo versaretur; 3° si iudicio periti medici non possit foetus aliter baptizari; quia salus aeterna foetus praevalet periculo mortis temporalis, secundum supra tradita n. 351. — Proba autem notandum est, ad huius medii usum medicum debere tempus opportunius pro matris et prolis salute eligere.

1) Puta per punctiorem secundinarum, qua liquor amnii effluit.

II. *Extra supradictos casus non licet partum praematurum procurare:* quia, cum infans praemature eductus debilis sit, huiusmodi partus non caret periculo pro conservatione vitae infantis; cui periculo illum directe exponere non licet, nisi ad matrem vel prolem a maiori periculo praeservandam. (Capellm. *Medic. past. pag. 22. 23.* Cfr. etiam responsum S. Officii 4 Maii 1898. ad I.)

§ III. - NONNULLAE OPERATIONES CHIRURGICAE.

581. — Operationes chirurgicae quibus foetus aliquando extrahitur, aliae certo semper sunt illicitae; aliae debitis sub conditionibus certo licitae sunt; aliae demum tales sunt, ut de earum liceitate disputetur.

I. *Operationes certo semper illicitae sunt omnes operationes, CERTO DIRECTE OCCISIVAE FOETUS;* nempe: EMBRYOTOMIA seu sectio mortifera foetus in utero matris, eiusque species: CRANIOTOMIA, qua, perforato cranio foetus, prius extrahitur massa cerebri, et EVISCERATIO, qua prius extrahuntur viscera foetus. Huc etiam spectat ille modus agendi quo *fluxus electricus* trans uterum deducitur ad foetum occidendum.

Iamvero nulla species embryotomiae est licita. Constat ex resp. S. Off. 31 Maii 1884¹⁾ et ex Enc. *Casti Connubii*, ubi huiusmodi letiferae sectiones diserte damnantur. ²⁾ Ratio autem manifesta est; etenim directum homicidium innocentis numquam est licitum, utpote intrinsece malum; atqui praedicta operatio est occisio innocentis directe intenta tamquam medium ad salvandam matrem; ergo numquam est licita. Neque dicere iuvat infantem esse iniustum aggressorem vitae matris; id enim perabsurdum est, cum infans nihil agat, sed placidissimus sit, et nonnisi ex naturali cursu rerum fiat matri causa mortis. Ad haec embryotomia aequae periculosa est pro matre ac sectio caesarea, quae multos infantes salvat; haec ergo prae illa eligenda est.

Etiam in *dubio* de praesentia foetus viventis embryotomiam peragere non licet, quamdiu probabile est adesse foetum viventem. ³⁾

QUAERITUR, *quid Parocho vel Confessario agendum sit, si medicus suadeat embryotomiam, vel mater eam exoptet.*

Resp. Quantum ad medicum, si spes fructus adsit, tenetur eum admonere de illius operationis malitia, ut infanticidia omittat. Quoad matrem autem, debet illi hanc operationem dissuadere; atvero, dum mater in bona fide versatur, prudentia saepe suadebit ipsam de gravi obligatione non monere, propter periculum, ne forte ex metu mortis non obtemperet et in malo statu moriatur. Denique sectio caesarea utrique enixe suadenda est.

¹⁾ Acta S. Sedis, Vol. XVII. pag. 556. Allatum Responsum eadem S. C. 19 Aug. 1889 applicat ad « quaecumque chirurgicam operationem directe occidit foetus vel matris gestantis ». (Revue théol. 1890. pag. 73.)

²⁾ A. A. S. 1930. p. 562.

³⁾ Cfr. N. K. *Stemmen*. 1914. p. 337; Sween. *De Justitia*. n. 549; N. *Rev. Théol.* 1905. p. 196.

582. — II. Operationes aliquando certo licitae sunt omnes operationes quae certo non sunt directe prolis occisivae atque versantur circa FOETUM VIABLEM. Tales autem operationes esse possunt: 1° SECTIO CAESAREA, quae consistit in incisione ventris, qua facta foetus ex utero extrahitur; 2° SYNPHISIOTOMIA seu HEBOSTEOTOMIA, qua arcitudo pelvis per scissionem cartilagineis duo ossa coniungentis removetur; 1) 3° LAPARATOMIA, qua exciditur tumor, ut extrahi possit foetus extrauterinus; 4° OPERATIO PORRENSIS seu amputatio utero-ovarica.

Porro, omnes hae operationes certo sunt licitae, dummodo periculum mortis matris, spectata eius valetudine et chirurgi peritia, remotum tantum sit, et spes affulgeat consulendi vitae tam temporali quam spirituali prolis. Utrum mater aliquando *teneatur* similem operationem subire ad salvandam prolem, ut scil. baptizari possit, dicitur in tract. de Baptismo tom. II. n. 57. Doctrina tradita confirmatur decisionibus S. Officii 4 Maii 1898 et 5 Maii 1902.

583. — III. Operationes de quarum licitate disputatur. Sunt nonnullae operationes peractae dum foetus est IMMATURUS atque operatione peracta certo moritur. Sunt: 1° ABLATIO UTERI morbide infecti (carcinomate v. g.) vel etiam ABLATIO TUMORIS qui matrem in summum discrimen reddit quique auferri non potest quin simul uterus auferatur; 2° PUNCTIO INVOLUCRI (ita ut fluat liquor amnii) in casu hydramnii acuti vel collapsus seu incarcerationis uteri retroflexi qui sine voluminis diminutione reponi non possit; 3° ABLATIO TUMORIS in quo foetus immaturus certo vel probabiliter invenitur, in casu conceptus EXTRAUTERINI, sive sit in ovariis, sive in oviductibus, sive in cavitate abdominis.

Circa has operationes haec statuenda videntur: 1° Ablatio uteri morbide infecti vel etiam ablatio tumoris lethalis qui sine ablatione uteri auferri nequit, ad vitam matris salvandam licita est; quum non videatur continere occisionem directam. Etenim, ut habeatur occisio directa, requiritur ut actio sive ex fine operis seu ex obiecto sive ex fine operantis, occisiva sit. In casu autem occisio foetus non est finis operantis; non enim auferitur uterus quatenus foetum continet, sed quatenus est infectus; sed neque est finis operis seu obiectum actionis; obiectum enim operationis non est nisi ablatio uteri seu uterus auferendus; praesentia foetus non est nisi circumstantia, obiectum afficiens; foetus enim in se seu in elementis suis vitalibus intrinsicis nullo modo afficitur, sicut obtineret si placenta qua talis auferretur. Quippe quae sit organum *graviditatis* essentielle. Nam uterus non est organum foetus sed matris, etsi ad vitam foetus sustentandam ordinatum. Neque ligando praeviae arteria matris foetus in se attingitur: nam mater et foetus circulationem sanguinis sibi propriam habent. Nec refert quod ex tali ligatione damnum foetus ante bonum matris oriatur; quia ut licite procedatur sufficit ut salus seu bo-

1) Cfr. N. K. St. 1912. p. 79.

num matris non mediante malo seu morte foetus obtineatur; non per se propter mortem foetus, etsi post eius mortem. Neque obstat quod uterus est organum matris *ab ipsa natura* ad foetus vitam ordinatum; inde foetus quidem ius habet ne in conflictu cum iure matris ad vitam directe functionibus uteri privetur, ut si talis privatio esset finis operis operantis; sed in casu non est finis operantis, neque finis operis seu obiectum, sed est mere *effectus* ablationis uteri. Supponitur semper, ut patet, spem baptismi ex operatione non minui. ¹⁾

2° Punctio involucri licita est, ubi fieri potest sine probabili periculo abortus. ²⁾

3° In casu conceptus extrauterini illicitum est ipsum foetum immaturum ex tumore extrahere; quia talis actio directam abortus procurationem constitueret.

4° De ablatione *ipsius tumoris* in quo certo vel probabiliter foetus immaturus continetur, non constat inter auctores utrum licita fieri possit necne; et idem dicendum de punctione involucri, ubi haec sine probabili abortus periculo fieri nequit. — Plures censent has operationes non licere casu quo foetus sit immaturus, etiamsi mater sit in praesenti mortis periculo; quia censent ibi haberi directam occisionem vel *directam abortus procurationem*; et speciatim quoad primum casum (conceptus extrauterini) provocant ad decr. S. Off. 5 Maii 1902, quod, adducens responsum 4 Maii 1898, illicitam declarat extractionem foetus ectopici adhuc immaturi. — Nec tamen desunt qui autumant has operationes posse fieri licitas ob summum et *praesens* discrimen vitae matris, quod secus tolli non possit; supposito utique quod operatio fiat eo modo ut foetus possit baptizari. Ratio est quia secundum illos non continent directam occisionem vel directam abortus procurationem; et quoad responsum S. Officii observant a) deesse approbationem pontificiam et b) illud ad eos casus restringendum esse, ubi habetur directa abortus procuratio, puta per extractionem foetus e tumore. ³⁾

Etenim, ita illi, quoad punctiorem involucri occasione hydramnii acuti vel uteri retroversi et incarcerati, non ita clare continet occisionem directam voluntariam, ut medicus eam peragens inde damnandus sit. Non enim videtur constare liquorem amnii esse elementum vitale foetus; indeque punctiorem qua talem

¹⁾ Iamdiu haec sententia a plerisque theologis admittebatur. Cfr. *N. R. Theol.* 1912. p. 590; 1913. p. 163; 1914. p. 226; *N. K. St.* 1909. p. 39 (pro); 1906. p. 300 (contra). Ultimis vero annis celebris controversia hac de re exarsit inter theologos. Sese opposuerunt sententiae nostrae Gemelli et Mancini; eam defenderunt Vermeersch, Janssen, Payen, Merkelbach et alii. Optimam relationem de controversia videsis apud Gennaro in *Isterectomia in « Perisce minus » medicina e morale* 1939 *segg.*; dein apud Merkelbach. *Quaestiones de embryologia et sterilizatione.* 1937. p. 29-40; ubi etiam fusius refutantur obiectiones adversariorum quibus supra in textu breviter respondimus. Confusio praesertim ex hoc provenire videtur quod non bene distinguitur inter obiectum et circumstantiam actionis. Sententiae benignae iam longe ante istam disputationem in antecedentibus editionibus adhaesimus, non auctoritate plurimorum theologorum, sed studio et convictione personali ducti.

²⁾ Saltem ubi agitur de hydramnio acuto, punctio eo modo fieri posse videtur quo sola pars liquoris effluit neque sequitur abortus.

³⁾ Cfr. Lehmkühl. I. n. 1010, 1011.

esse habendam tamquam vulnus lethale: insuper, non intenditur liquoris effusio tamquam foetus abortiva, ut in abortu directo obtinet, in quo abortus ipse est medium ad matrem salvandam; sed intenditur solius liquoris effusio unice tamquam medium ad uteri volumen reducendum; quo facto, mater salva esset, etiamsi foetus remaneret. ¹⁾

Similiter quoad extractionem tumoris, foetum immaturum continentis, donec aliter a S. Sede declaratum fuerit, medicus eam peragens sed paratus stare ulterioribus declarationibus S. Sedis, iuxta illos non videtur damnandus, si in praesenti matris periculo eam peragit tamquam necessariam ad matris vitam in tuto collocandam. Ratio est quia putant tumorem illum esse aequae bene morbidam matris affectionem ac uterum carcinomate vel alio morbo affectum; quem tamen amputari posse plerique concedunt. Non enim praesentia foetus qua talis matri est nociva; sed anormalis praesentia tumoris in quo continetur foetus. ²⁾ Imo est, qui idem censeat de operatione peracta etiam ante urgens matris discrimen, sed cum certa eius praevisione. ³⁾

Nota tamen rem restringi ad casum ubi tumor *extrahitur* ita ut foetus baptizari possit; non ergo inde deducendum etiam licere foetum vi electrica vel immissione morphii perimere; id omnino non licet, quia sic foetus directe occiditur et certo iam Baptismo privatur.

Perdifficile est hac in re aliquid sufficienter certum determinare. Nihil aliud restare videtur nisi ut a S. Sede tutam aliquam normam agendi in materia tam ardua exoptemus.

SCHOLION

De laesione animalium.

583 bis. — Materia haec proprie non pertinet ad quintum praeceptum; hoc enim prohibet violare ius ad vitam et integritatem corporis. Sed ius aliquod tantum competere potest entibus ratione praeditis; haec enim sola dominio libertatis aliquid possidere valent tamquam suum in qua possessione ius consistit. Cfr. infra n. 645. Nihilominus haec materia ad quintum praeceptum reduci solet propter aliquam similitudinem materialem in nonnullis actibus circa animalia, ut occidere, mutilare, vulnerare, cruciare. Attamen isti actus non totam materiam comprehendunt; dantur enim etiam alii actus, ut animalia privare libertate, auferre ova avium, mel apum, destruere animalium nidos aliave receptacula. Isti actus potius similitudinem materialem habent cum materia septimi praecepti; nihilominus quum actus prioris generis sub respectu ethico maiorem movere soleant difficultatem, ideo practicae sat merito tota materia insimul hic brevi absolvitur.

I. Nulla umquam iniustitia inferri potest animalibus; non enim, ut iam dictum est, iuris capacia sunt. Insuper, creaturae irrationales nullo modo

¹⁾ Favet *Studien*. 1916. *Bijblad, Juni, Oct.*; Antonelli II. n. 110 et 1909; Cornelisse n. 491; non ita favet *N. R. Th.* 1913. p. 165; Vermeersch n. 627.

²⁾ Favet Lehmkühl. l. c.; Antonelli in ed. 1905. p. 224 (non vero postea); Gonicot-Salsmans. n. 337; Prümmer. II. n. 146; cfr. etiam *N. R. Th.* 1913. p. 164. Contra vero Finney in *The Eccl. Review*. 1928. p. 54.

³⁾ Favet Davis in *The Eccl. Review*. 1927. p. 275. 405. sequ.; praesertim p. 408-410. Innititur praesertim eo quod praegnatio extrauterina proprie *inde ab initio* habenda est tamquam vere serium periculum pro matre. Neque liquet Lehmkühl ab hac sententia esse alienum. Cfr. etiam *The Eccl. Review*. 1928. p. 413. Pari modo favet Bouscaren S. J. in *Ethics of Ectopic Operations*. 1933.

sunt propter seipsas sed unice et totaliter propter hominis utilitatem, prout patet ex manifesta intentione naturae, in S. Scriptura confirmata (Gen. i. 26). Quapropter sunt in pleno hominis dominio, nec umquam homo in iis adhibendis iniustitiam erga eas committet, sive eis utitur in veram suam utilitatem sive etiam iis mere abutitur. Nihilominus in iis adhibendis per accidens potest peccare contra iustitiam, erga eos scil. qui ius in animalia aliave entia irrationalia haberent.

II. Neque peccari potest contra aliquem amorem et multo minus contra caritatem animalibus debitam. Caritas enim spectat ad ordinem supernaturalem et ad eos solos qui beatitudinis caelestis participes sunt vel fieri possunt. Sed neque ulla obligatio amoris naturalis adstrui potest; imo animalia non possunt esse obiectum veri amoris rationabilis etiam non obligatorii; quod enim nullo modo est propter se, sed pro homine mere rationem medii seu utilis habet, nullo modo potest amari rationabiliter propter se seu amore benevolentiae sed solo amore concupiscentiae. Multo magis excluditur amicitia cum animalibus, cum desit communio vitae in qua fundatur. Nihilominus homo aliqualem benevolentiam erga animalia nutrire potest, maxime ob quamdam similitudinem cum hominibus quam in sua vita sensitiva exhibent.

III. Potest tamen peccare homo in adhibendis animalibus quatenus eorum usus non est regulatus secundum rectam rationem, ita ut potius abusus dicendus sit. Hoc fit quoties homo ea sine ullo recto fine vel modo vel in adiunctis indebitis adhibet, praesertim vero si tali modo brutis instinctibus indulget.

Hinc: 1^o Crudelitas qua quis delectatur in vexandis animalibus, duritia et inclementia (insensibilitas) qua quis indifferens maiores dolores infert animalibus (vel ea pati sinit) quam vera utilitas exigit, peccatum constituunt. Peccatum tamen huiusmodi per se saltem veniale non excedit, etiamsi vexatio sit enormis; quum deordinatio solummodo inveniatur in modo quo homo dominium suum in animalia exercet, non vero in ulla iuris vel caritatis laesione.

2^o Merito doctrina traditionalis fert licitum esse occidere, mutilare animalia aliove modo eis malum inferre, non solum quando hoc est absolute necessarium, verum etiam quando utile est homini. Immerito nonnulli moderni acatholici sive viri sive praesertim mulieres docent illicitum esse occidere vel mutilare animalia nisi propter ipsorum animalium bonum, v. g. ad liberanda ea a doloribus. Excessus morbosus et risu dignus est erigere nosocomia pro animalibus aegrotantibus vel refugia pro senescentibus.

3^o Licita est vivisectio, dummodo sit vere necessaria vel valde utilis humano bono, v. g. evolutioni scientiae ut physiologiae vel medicinae. Actio contra vivisectionem non est tamen prorsus reiicienda, dummodo impugnet non omnem vivisectionem sed abusus qui in ea committuntur. Utilitas vivisectionis videtur negari non posse. De cetero, non est error iuris sed facti tantum, si quis ideo impugnet omnem vivisectionem quia eam reputet prorsus inutilem.

4^o Actio pro defendendis animalibus, si intendit impugnam crudelitatem,

inclementiam etc. erga animalia, bona est et occasione data Ecclesiae laudes promeruit. Nec quaedam exaggeratio in mediis ab illa actione adhibitis totam actionem qua talem corrumpit. Multi tamen moderni hac in re propugnant falsa principia quibus catholici consentire non possunt. Errores isti, sanae doctrinae traditionali et praxi omnium hominum etiam virtuosorum contrarii, facile a fere omnibus ut errores agnoscuntur. Quare qui eos propugnant, non tantum veritati detrahunt sed etiam valde nocent scopo proposito, retrahentes multos a cooperatione ad huiusmodi actionem.

CAPUT V.

DE DUELLO

584. — **Notio.** Duellum, quasi *duorum bellum*, prout accipitur in Iure, solet definiri: Singulare certamen inter duos (vel subinde plures), ex condicto de loco, tempore et armis susceptum idque armis de se aptis ad mortem vel grave vulnus infligendum.

Divisio. Duellum est: 1° *Publicum*, si publica auctoritate suscipitur; *privatum*, si fit privata auctoritate.

2° Duellum *sollemne*, quod fit cum certis caeremoniis, nempe adhibitis testibus, quos *patrinos* sive *secundantes* vocant, atque litteris provocatoriis; *simplex*, quod quidem ex condicto, ac designatis tempore et loco fit, at sine sollemnitate.

3° Duellum *ad mortem*, si fiat cum intentione occidendi: *ad primum sanguinem* si cum intentione *vulnerandi* tantum.

585. — **Principia.** I. *Licitum est duellum auctoritate publica* OB BONUM COMMUNE *assumptum*, puta ad finiendum bellum. Ratio est, quia non apparet cur duo vel pauci non possint congregari, cum toti exercitus id possint; quin etiam id suadet humanitas, ad parcendum sanguini bellique calamitates declinandas. (n. 400.)¹⁾

II. *Duellum* OB CAUSAM PRIVATAM *susceptum*, *semper est graviter illicitum*. Ratio est, quia tantum abest ut sit legitima defensio, ut contra mutua sit aggressio ex consulto facta, et privata vindicta; unde malitiam habet duplicis homicidii, sui scilicet ac proximi. Patet etiam ex Concilio Trid. quod *sess. 25. cap. 19. ref.* sic loquitur: « Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur ». — Adde demum quod duellum est medium prorsus ineptum ad finem ob quem solet provocari, ad laesum nempe honorem reparandum.

Seitu necessarias hic subnectimus 5 propositiones circa duellum a Benedicto XIV damnatas in Const. *Detestabilem*. 10 Nov. 1752:

1° « Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus,

¹⁾ Cfr. Umberg in *Period.* 1947. p. 161-168, ubi et de obligatione talis duelli committendi eligendo minus malum.

timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2° « Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

3° « Non incurrit ecclesiasticas poenas, ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.

4° « Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

5° « Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur. »

Iam antea Alexander VII proscripserat hanc prop. 2: « Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. »

Pertinaciter docens vel defendens aliquam ex hisce propositionibus subiacet poenis ferendae sententiae, can. 2317 expressis.

De turpitudine duelli cfr. etiam epist. Leonis XIII ad Episc. Germ. et Austriae Hungariae. 12 Sept. 1901. *Acta Leonis XIII.* vol. XI. p. 283.

586. — **Resolutiones.** 1° Illicitum est duellum, etiam ex auctoritate publica, ad vires vel armorum peritiam ostendendas, ad iniuriam vindicandam, ad litem terminandam, ad veritatem vel innocentiam manifestandam, quae ultima causa *purgatio vulgaris* dici solet, et damnata fuit ab Ecclesia in *Cap. 1 et 2 de purg. vulg.* Ratio est quia vel eiusmodi motiva non sufficiunt, cum bono communi non prosint, vel duellum est medium ineptum. — Similiter illicitum est ob defensionem honoris sui, ad avertendam ignominiam; dementia enim est seipsum et proximum morti obiicere ob perversam mundi opinionem. (n. 399.)

2° Illicita sunt tum duella *ad primum sanguinem*, tum duella *fieta* sine animo vulnerandi; quia priora per se periculosa sunt, etiam quoad vitam, et Clemens VIII in Constit. *Illius vices*. 17 Aug. 1592 ea prohibuit; deinde omnia dant scandalum, atque duellis fatalibus ansam praebent. (n. 399.)

3° Nobilis vel miles provocatus ad duellum, licite respondere potest: « Ut Christianus non possum acceptare duellum; paratus tamen sum ad me defendendum contra iniustos aggressores. » (n. 400.)

4° Non est duellum stricto sumptum, si duo ob iniuriam subita ira exardescentes se provocant ad pugnam, statimque ad aliquem locum progressi congregiuntur; quia non pugnant *ex condicto*. Similiter, si quis alteri dicat: « Tecum pugnabo prima occasione, qua mihi obviaveris; » quia deest designatio loci et temporis. Pariter, si inimicus paratus ad te occidendum, ex petulantia tibi arma offerat, ut sic fortunam experiaris; tunc enim, si evadere nequeas, cogis ad defensionem, et alter est aggressor. (n. 400. 401.)

5° Non est duellum stricto dictum pugilatus seu certamen saepe lucri vel ostentationis causa pugnis institutum (boxing), etiamsi fiat ex condicto de loco et tempore; quia arma de se lethalia non adhibentur. Nihilominus huiusmodi certamen facile illicitum fieri potest, leviter vel graviter pro gradu periculi magis vel minus probabilis laesionis vel etiam mortis: ut si debitae cautiones non observentur, vel si certamen eo tendat ut unus ex certantibus sensibus destituatur (*to knock out*.)

§87. — **Poenae contra duellantes.** Sunt: 1° EXCOMMUNICATIO SEDI APOSTOLICAE SIMPLICITER RESERVATA in quam vi can. 2351. § 1 ipso facto incurrunt:

a) *ipsi duellum perpetrantes*; b) *simpliciter ad illud provocantes*, etsi provocatus non accipiat; c) *acceptantes*, etsi pugna de facto non sequatur;

d) *quamlibet operam aut favorem praebentes*; hinc non tantum cooperatores principales de quibus in can. 2209. § 1-3, ut v. g. mandantes, verum etiam cooperatores accessorii qui duellum facilius aut sollemnus reddunt, ut patrini.

Hinc etiam medicus et confessarius, qui ex condicto duello assisterent cum intentione praebendi ministerium suum; quinimmo, etiamsi duello non essent praesentes, sed in domo vicina vel in loco propinquo sisterent. Ita S. Off. 31 Maii 1884. (*Acta S. Sedis. vol. XVII. p. 601.*)

e) *de industria spectantes*, i. e. qui praesentia sua ipsos duellantes ad pugnam excitare censentur; non autem illi qui eminus aut secreto spectant vel casu transeuntes ex curiositate aspiciunt;

f) *illud permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint*; agitur de personis publicis, ut sunt principes, duces militum, qui duellum culpabiliter permetterent vel pro officio, quantum in illis est, non prohiberent. Agitur hic *unice* de personis *publicis*, uti ex clausula « cuiuscumque dignitatis sint », satis constat. Ita recte, ut videtur, Cappello. *De Censuris. n. 349. contra Cerato, n. 63. et Sole. i. h. c. n. 393.*

Personae sub d) e) et f) recensitae tunc tantum in censuram incurrunt, quando duellum reapse locum habuit. Cfr. Sole. n. 393. 4°.

2° PRIVATIO SEPULTURAE ECCLESIASTICAE pro ipsis duellantibus nisi ante mortem dederint poenitentiae signa; atque dummodo decedant ex vulnere in duello accepto, etsi extra locum conflictus. Cfr. can. 1240. § 1. 4°.

3° INFAMIA IURIS ipso facto, pro ipsis duellantibus eorumque patrinis. Cfr. can. 2351. § 2. Hinc oriuntur pro ipsis variae *inhabilitates*, infamiae iuris annexae (cfr. can. 2294. § 1; 776. n. 2.); in specie *irregularitas ex defectu*, idque etiamsi duellum non fuerit fatale, ut declaravit S. C. C. 9 Aug. 1890. Cfr. can. 984. 5°.

4° IRREGULARITAS EX DELICTO, si duellum secum tulit homicidium voluntarium, contrahitur ab illo qui homicidium perpetravit et ab omnibus cooperantibus, iuxta can. 985. 4° si duellum secum tulit mutilationem, ille qui se vel alium mutilavit pariter est irregularis. Cfr. can. 985. 4° et 5°; tom. II. n. 606. 1)

NOTANDA. 1° Praedictae poenae *non* incurruntur pro duello *non stricte dicto*, scil. non convento loco et tempore, neque pro duello *ficto* aut pro ficta provocatione vel acceptatione.

2° Incurrunt poenae etiam pro duello *simplici*; imo eas contrahunt etiam duellantes ad *primum sanguinem* ut expresse decernit Clemens VIII in cit. Const. § 5.

1) Ius German. in Codice poenali § 201-210 poenam carceris ad plures menses aut annos statuit contra duellantes ad mortem.

3° Incurruntur poenae pro *provocatione* et *acceptatione* etiamsi decisio de duello habendo reservetur tribunali quod dicitur « honoris », nisi certo constiterit provocantes et acceptantes non habuisse intentionem duellandi; ¹⁾ provocatio aut acceptatio enim iam omnino adest.

4° Duella quoque sub nomine *Bestimmungsmensuren* in Universitatibus Germaniae usitata, poenis ecclesiasticis subiiciuntur; et quidem non solummodo ea quae cum periculo gravis vulneris committuntur, sed etiam ea quae in casu sine tali periculo fiunt. Ita S. C. Conc. die 13 Iunii 1925 interpretata est responsa antea data die 9 Aug. 1890 et 10 Febr. 1923 ²⁾.

Ex disceptatione responso S. C. Conc. praemissa patet S. Congr. anno 1890, pro facultate qua eo tempore gaudebat authentice interpretandi leges Tridentinas, poenas ad *mensuras* extendere potuisse atque etiam voluisse; idque merito, vel ex eo quod mensurae istae saltem *faveant* consuetudini duellorum etiam eorum quae fiunt cum periculo gravis vulneris; imo horum sunt proxima praeparatio. Adde quod arma communiter pro mensuris adhibita potius *de se* sint apta ad grave vulnus infligendum. ³⁾

5° Quoad REMISSIONEM poenarum praefatarum, haec accipe:

a) a poena *excommunicationis* absolvere potest Ordinarius in casibus *occultis*; quid aliquando possint alii, cfr. infra *tom. II. n. 994*.

b) a poena privationis *sepulturae ecclesiasticae* in casibus etiam publicis theoretice, attento solo canone 2237, dispensare posset Ordinarius; practice vero non ita facile aderit sufficiens causa dispensandi, quum haec poena iam non incurratur si decedens signa poenitentiae dederit; quae si non dederit, facile erit scandalum, si dispensaretur; in casibus vero occultis facilius poena remitti posset. Cfr. can. cit., infra *vol. II. n. 968*.

c) a poena *infamiae iuris* attento can. 2237 dispensare potest Ordinarius in casibus *occultis*; qua sublata iam videtur auferri *irregularitas ex defectu*.

d) a poena *irregularitatis ex delicto* Ordinarius dispensare potest per se vel per alios, si agatur de delicto occulto ex *mutilatione*, non ex homicidio; immo et Confessarius in eo casu dispensare potest, si Ordinarius adire nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae; sed hoc tantum ut poenitens *iam susceptos ordines* licite exercere valeat. Cfr. can. 990; *tom. II. n. 609*.

CAPUT VI.

D E B E L L O

588. — **Notio et divisio.** Bellum est pugna publica unius Reipublicae contra alteram. Est vel *offensivum*, si inferatur ad vindicandam aut compensandam iniuriam; vel *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Aliquando bellum apparenter erit offensivum sed revera defensivum; quando nimirum bellum suscipitur ad praecavendam aggressionem vere imminentem.

¹⁾ Ita Comm. Cod. 26 Iunii 1947. (*A. A. S.* 1947. p. 374.).

²⁾ *A. A. S.* 1926. p. 132.

³⁾ Cfr. *A. A. S.* 1926. l. c. *Ius Pont.* 1926. p. 15-16.

Principia. — I. *Bellum aliquando est LICITUM, sive ad iniuriam repellendam sive ad ius suum vindicandum.* Ratio est pro bello *defensivo*, quia licet vim vi repellere; pro *offensivo*, quia, sicut unicuique privato competit iuris sui privati tuitio, eadem ratione debet nationi competere iuris socialis publica tuitio; interdum vero non suppetit aliud ad hunc finem obtinendum medium, nisi bellum; bellum ergo est licitum.

Immo bellum sive defensivum sive offensivum potest esse obligatorium pro necessaria defensione boni communis, dummodo tamen fundata adsit probabilitas felicitis successus. ¹⁾ Constat etiam ex Scriptura, ubi legitur Deum saepe probasse et iussisse bellum.

II. *Ad bellum iustum et licitum tres requiruntur CONDITIONES:* 1^o ut moveatur a *legitima auctoritate*, nimirum suprema, ad quam solam spectat Rempublicam tueri; 2^o *iusta causa*, proportionata calamitatibus belli, sufficienter fundata atque urgens; 3^o *recta intentio* indeque *moderamen inculpatae tutelae* in bellando, ut ob solam necessitatem, et sine nimia saevitia bellum geratur. (n. 402.) ²⁾

Porro: 1^o *Causa iusta belli defensivi* esse potest vis iniuste illata; *causa iusta belli offensivi* potest esse praecavere gravem iniuriam quae Reipublicae vel ordini sociali vel internationali imminet, aut reparare talem iniuriam si iam illata est. *Causa iusta* esse nequit incrementum potestatis politicae vel oeconomicae quae tale. Tandem *causa* esse nequit obiective iusta ab utraque parte, etsi aliqui ita opinati fuerint.

2^o *Causa proportionata* esse debet malis temporalibus et spiritualibus individuorum et societatis. Hinc hodie praesertim, ubi indoles belli tam radicaliter est immutata, debet esse *gravissima*, ob periculum conflagrationis universalis, et ob damnum quod multis inferitur. Servitium enim militare saepe est personale, universale et obligatorium. Bellum non tantum terra marique sed sub mari et in aëre geritur, arma seu media adhibita (gaz, arma atomica etc.) valde inhumana sunt atque integram saepe populationem afficiunt; conventiones internationales de modo bellum gerendi non servantur, imo ab aliquibus aperte sic dictum «*bellum totale*» tamquam systema propagatur: ita tota populatio et omnis activitas tam publica quam privata unice tamquam instrumentum finibus bellicis inservire deberet. Unde tandem totus ordo oeconomicus et socialis per multos annos in toto orbe turbatur.

3^o *Moderamen inculpatae tutelae* postulat, ut a) antequam bellum indicatur, alia media tententur ad ius pacifice obtinendum; b) bellum denuntietur, priusquam inferatur; c) ita geratur ut ad aequam pacem obtinendam perpetuo spectet; quam ob causam aditus ad sinceras pacis propositiones hosti semper concedatur;

¹⁾ Cfr. Nunt. radioph. Pii XII 24 Dec. 1948. *A. A. S.* 1949. p. 13.

²⁾ Cfr. Bened. XV. Litt. enc. *Pacem, Dei munus pulcherrimum*. 23 Maii 1920, *A. A. S.* 1920. p. 208; Pii XI Litt. enc. *Ubi arcano*, «de pace Christi in regno Christi» 23 Dec. 1922, *A. A. S.* 1922. p. 671; S. Thom. 2. 2. qu. 40. a. 1; Vittoria. *Relect. theol.: de Indis et de iure belli*; Bañez. *Comm. in II. II. qu. 40*; Suarez. *De char. disp. XIII*; Bellarminus. 2^a *Controversia generalis. lib. 3. XIV-XVI*; Ortolan. apud *Dict. de théol. cath.* ad v. *Guerre*; Cordovani. *Elementa iuris nat. internat.* p. 15 seqq.; Regout. *La doctrine de la guerre juste de St. Augustin à nos jours*; Pasquazi. *De Bello* in Act. Congr. iurid. internat. 1934. Romae habiti, V, p. 429.

d) acceptetur iusta satisfactio, quam hostis offert, dummodo hic expensas factas resarcire velit, nec ad bonum publicum necesse sit ut eius petulantia retundatur; e) vitentur laesiones et violentiae inutiles; speciatim servetur moderatio in poena nocentium, indemnitas possibilis innocentium; f) non adhibeantur media in se illicita et iniusta, aut contra ius gentium et belli legem, v. g. proditioes, pactorum violatio, etc. ¹⁾

III. Ut bellorum occasiones quantum fieri possit tollantur, pax *iusta et honorifica* inter nationes instauranda erit. Quae ut obtineatur, plura prae oculis habenda sunt.

1° *Vita et independentia* omnium Statuum maiorum et minorum, potentium et debilium, in tuto collocanda est. Voluntas vivendi unius Status numquam aequivalere debet sententiae mortis alterius. Si haec iurium aequalitas destructa, laesa vel periculo exposita est, ordo iuridicus exigit reparationem; cuius mensura et extensio non gladio vel arbitrio egoistico, sed iustitiae et mutuae aequalitatis normis determinanda est. Hinc si vitari nequeat quominus Status maiores et potentiores adducant minores et debiliores ad ineundas secum confoederationes oeconomicas, nihilominus hi ius suum retinent ad libertatem politicam, efficacem propriae neutralitatis custodiam, et evolutionis oeconomicae tutelam. In novo ordine non egoistice tendendum est ad monopolium quoddam in acquirendis fontibus oeconomicis et primis quae dicuntur materiis, communi usui necessariis, ita ut aliqui populi natura minus locupletati ab iis habendis excludantur.

2° Ut ordo stabilitus possit permanere inconcussus, populi liberari debent durissima illa servitute quae est in *apparatu bellico semper augendo*, ut tollatur periculum ne vis seu coactio physica non tuitioni sed tyrannicae oppressioni iurium inserviat. Pacis conventiones quae non summi momenti haberent *bellici apparatus remissionem*, mutuo consensu perficiendam eamque methodicam et progressivam neque eam sincero animo exsequi intenderent, cito vel sero suam inefficaciam manifestarent.

Dicimus «*mutuo consensu*»; hic autem consensus diminuendi apparatus bellicum si in aliquo populo deest, ita ut hic sit continuum periculum pro pace, in aliis populis oritur ius immo etiam oriri potest obligatio bonum pacis defendendi contra minas iniustae aggressionis, augmentando bellicos apparatus. Neutralitas seu indifferentia hac in re non erit licita, quia alterius malevolum animum confirmaret. Hoc sensu adagium *Si vis pacem para bellum* iuste retineri potest. Ita Pius XII in nuntio radioph. 24 Dec. 1948 ²⁾

3° In novo ordine internationali constituenda erunt *Instituta iuridica* quae experientiis et tentaminibus anterioribus edocta, maiori cum efficacia conventionum observantiae invigilare easque interpretari valeant.

4° Speciali modo attendendum erit *ad veras necessitates et iusta postulata nationum et etiam fractionum ethnicarum minoris numeri*. Etsi enim

¹⁾ Cfr. N. K. St. 1915, p. 86; *Het francitieurschap van moraal-theologisch standpunt*.

²⁾ A. A. S. 1949, p. 5.

talia postulata non semper ius strictum condere valeant, quando varii tituli iuridici sese eis opponunt, tamen digna sunt quae examini subiiciantur, ut eis via pacifica vel etiam, si necesse sit, aequa conventionum emendatione satisfiat atque aequilibrium mutuaque fiducia restituantur. In novo ordine non detur locus oppressioni apertae vel subdolae proprietatis culturalis vel linguae minoritatum ethnicarum; neque impediatur vel restringatur istarum capacitas oeconomica vel foecunditas naturalis. Quo magis earum iura agnoscuntur, eo securius atque efficacius ab eis adimpletio obligationum civilium exigi poterit.

5° Quae quidem omnia parum valebunt, nisi rectores populorum ipsique populi sese imbuant *spiritu iustitiae* illius quae fundatur in iure divino; atque *amore illo universali* qui est synthesis atque ultimus terminus christianae perfectionis ideoque etiam eos qui fidei verae non sunt participes comprehendit. Hinc etiam a novo ordine exclusa esse debet omnis *persecutio religionis et Ecclesiae*; atque fides in Deum personalem atque in Christum omnia pervadere oportet. ¹⁾

IV. *Servanda sunt quae iure gentium positivo per conventiones internationales stabilita fuerunt.* Haec enim valent pro omnibus nationibus quae tali conventioni assensum suum praebuerant.

Illuc spectant: 1° *Conventio Genevensis* 22 Aug. 1864, vi cuius hospitalia et ambulatoria militaria cum medicis atque ministris fasciam albam cruce rubra signatam deferentibus atque cuncta aedificia in quibus feriti curantur quaeque vexillo conventionis Genevensis designantur, neutralia habenda sunt.

2° *Conventio Petroburgensis* 11 Dec. 1868, vi cuius usus cuiusvis tormenti explosivi supra 400 grammata prohibebatur.

3° *Conventiones* annis 1899 et 1907 Hagaecomtis habitae, vi quarum tamquam illicitus habendus est usus veneni seu toxicum et armorum venenatorum vulneratio vel caedes insidiosa seu sicaria subditorum nationis hostilis vel eorum qui eius exercitui adscripti sunt; vulneratio vel occisio hostis inermis vel arma tradentis; declaratio quod nulla detur venia seu indulgentia seu gratia (seu: de non danda gratia); abusus vexillorum sive internuntii (ad paciscendum) sive Conventionis genevensis; vastatio vel ablatio proprietatis hostium, seclusa necessitate urgente; aggressio hono-

¹⁾ Cfr. Pius XII. Sermo 24 Dec. 1939. *A. A. S.* 1940. p. 5; Sermo 24 Dec. 1940. *A. A. S.* 1941. p. 5. Cfr. Pius XII. Nuntius radiophonicus 24 Dec. 1941. *A. A. S.* 1942. p. 10; 24 Dec. 1942. *A. A. S.* 1943. Cfr. etiam praeter documenta iam supra citata: Bened. XV. Ep. *Dès le début*, ad gubernatores populorum bellum gerentium 1 Aug. 1917. *A. A. S.* p. 417; Pius XI. Litt. *Con vivo piacere* 7 aprilis 1922. *A. A. S.* 1922. p. 217; *Alloc.* 24 Dec. 1930. *A. A. S.* 1930. p. 536; Ené. *Nova impendet* 2 Oct. 1931. *A. A. S.* 1931. p. 393. Cfr. etiam telegrammata Pii XII ad nonnullos principes in *Per. de re mor.* 1940. p. 216. De positione S. Sedis quoad conductus inter nationes atque congressus internationales huc spectantes cfr. art. 24. Conventionis inter S. Sedem et Italiam 11 Febr. 1929. *A. A. S.* 1929. p. 220. Cfr. demum *N. R. Théol.* 1936. p. 5. *Justice internationale*; Gonella. *Presupposti di un ordine internazionale. Note ai messaggi di S. S. Pio XII.* Cfr. etiam Nuntios radioph. Pii XII. 22 Sept. 1944. *A. A. S.* 1944. p. 249. 24 Dec. 1944. *A. A. S.* 1945. p. 10. 24 Dec. 1945. *A. A. S.* 1946. p. 15 (*tre presupposti fondamentali di una vera e durevole pace.* p. 22); 24 Dec. 1946. *A. A. S.* 1947. p. 7. (*triplice invito ai reggitori dei popoli.* p. 11); 24 Dec. 1947. *A. A. S.* 1948. p. 8; 24 Dec. 1948. *A. A. S.* 1949. p. 5. (*la solidarietà dei popoli contro lo spirito di aggressione* p. 13).

ris vel religionis hostium; aggressio urbium, pagorum et aedificiorum non munitorum; quarumvis urbium vel locorum etiam aggressionem occupatarum direptio.

4^o *Conferentia internationalis* ad limitandum armorum atque munitionum commercium, anno 1925 habita, in qua subscribebatur protocollo usum vaporum intoxicantium atque bacteriorum illegalem proclamanti.

5^o *Stipulationes Societatis Nationum*, qualis est obligatio orto conflictu prius media pacifica tentandi; in specie eum tribunali arbitro subiiciendo; pari modo obligatio recurrendi ante bellum incipiendum ad Societatem Nationum, ita ut Natio secus faciens tamquam contumax atque aggressiva habeatur eique remedia oeconomica (sanctiones) et urgente necessitate etiam militaria applicanda sint.¹⁾

589. — *Resolutiones*. 1^o Licitum est in bello stratagematibus non intrinsece malis uti, ut fingere fugam, etc. Similiter licet, si conducat ad finem belli, agros vastare, arces diruere, bona et terras hostiles occupare, urbes obsidere et infestare ignibus, quamvis per accidens contingat laedi et occidi innocentes. Imo, aliquando fas est monasteria et ecclesias destruere, in iis spoliare et occidere, si v. g. hostes iis ut arce ad se defendendos utantur. Praedicta tamen non licent privatis militibus aut officialibus inferioribus, sine Ducis licentia. (n. 409. 410.) Quid dicendum de usu quorundam armorum ingenti vi destructiva praedictorum cfr. n. 590 q. 2.

2^o Duces exercitus et milites cavere debent ne excedant in puniendo: fas non est laedere legatos partis adversae, quippe qui iure gentium ubique sint inviolabiles; nec mittere sicarios qui Principem aut Ducem exercitus inimici vel alios regni Primates occulte trucidant: cum id omnium consensu perfidia sit.

3^o Duces alique officiales peccant, tenenturque ad restitutionem, si stipendia defraudant militibus aut fisco; si, cum ex officio debent com meatum curare, militibus malum cibum dant, ex quo morbi oriuntur, etc. Item milites, si a rusticis aliisve, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, furantur, aut invidis extorquent praeter ea, quae ex Ducis statuto iis subministrari debent; nisi tamen sint in extrema vel saltem gravi necessitate. (n. 407. 410.)

4^o Non licet in bello iniusto militare; qui ad hoc coguntur, curare debent, quantum possunt, ne hostes laedant. (n. 408.)

590. — *Quaestiones*. *QUAER.* 1^o *Qui possint in bello iusto occidi.*

Resp. 1^o *Directe* occidi possunt quantum ad finem belli opus est nocentes, quales sunt duces et milites hostilis exercitus et quicumque hisce auxilium ferentes. Notandum tamen quod mutata natura belli moderni, quod magis quam colluctatio exercituum vel hominum ad belligerendum specificè destinatum factum est collisio mediorum technicorum, immo *collisio inter completam vitam industrialem et oeconomicam populorum* vi cuius plures labores, industriae etc. quae antea dicebantur actiones pacificae, nunc assumuntur in belli praeparationem et gestionem belli, illud effecit ut numerus nocentium *multo magis sese extenderit.*

¹⁾ Cfr. Schilling II. n. 520. Cfr. ibidem n. 521 de remediis repressivis (représailles) ut est in demergendis navibus mercatoriis ope submarinorum ad ulciscendum obsidium exitiale. Cfr. et S. Alf. III. n. 410 sub 7^o de conditionibus sub quibus « repressalia » licita sunt.

Devicti tamen et capti occidi nequeunt, nisi aliunde propter delictum rei sint mortis; denique, si se dederint sub pacto ut vitam salvam habeant, occidi omnino non possunt.

2^o *Indirecte tantum*, nunquam directe, occidi possunt *innocentes*, quales reputantur pueri, feminae, senes, mercatores et rustici, peregrini, Clerici et Religiosi, in quantum scilicet in belli operationibus eorum occisio vitari nequit. (n. 409.)

QUAER. 2^o *Quid dicendum de moralitate plurium armorum moderniorum, maiore vi destructiva praeditorum, uti sunt v. g. proiectilia ingentis ponderis ac capacitatis explosivae, arma atomica, proiectilia volantia (V 1, V 2 etc.) radii mortiferi et similia.*

Resp. Cum studia et experimenta talium armorum sive quoad constructionem et perfectionem sive quoad eorum repulsionem et neutralisationem in continuo versentur evolutione, impossibile est dare responsum omnino definitivum; quod enim hodie videtur periculosissimum et nefastum, cras post novas inventiones facile apparere posset minus nocivum, et viceversa. Considerata tamen hucusque nota illorum *immani potentia destructiva et modo terribili* mortem inferendi (aliisque effectibus valde nocivis v. g. radioactivitate remanenti) simul cum *exigua possibilitate illa secure in obiectum dirigendi* haec legitime statui posse videntur:

1^o Nulla ex talibus armis *in se*, ex natura sua, videntur prohibita; nulla enim ex ipsa intrinseca constructione per se diriguntur contra innocentes, sed contra ipsos apparatus bellicos exclusive aut principaliter adhiberi possunt.

2^o Usus horum armorum iure internationali interdicti debet, sicut iam pro pluribus aliis armis nefastis feliciter factum est conventionibus internationalibus. (v. g. pro gaz toxico, bacteriis etc. cfr. supra n. 588 IV.) Omnes status absque dubio gravi obligatione tenentur pro viribus collaborandi, ut leges prohibitivae condantur et conditae observentur.

3^o Quousque tamen hoc factum non est vel casu quo facta conventionem aliqua natio hanc legem positivam non observet, *usus licitus aliquando esse potest* sub his tamen conditionibus:

a) nunquam ea arma dirigere licet (quod tamen de omnibus armis valet) *directe contra innocentes* eorumque bona pacifica sive ratione vindictae sive ratione terroris seminandi intra populum civilem eo fine ut indirecte vis moralis exercitus vel gubernii frangatur. Quinam considerari debent ut nocentes cfr. supra qu. 1.

b) neque licet, saltem per se loquendo, dirigere talia arma contra *personas vel obiecta bellica*, si exinde indirecte occiduntur innocentes et destruuntur eorum bona pacifica in *numero disproportionato; uti facile eveniet si in urbes proiciuntur*. Effectus malus permissus enim proportionari debet effectui bono directe intento. Proiectio quidem in urbes facilius liceret si cives inermes praemoniti fugere possent; sed in praxi hoc raro eveniet. Deinde etiamsi adsit utilitas bellica proportionata tali caedi et destructioni requiritur insuper quod adsit *sufficiens certitudo realiter attingendi obiectum* intentum. Ex hisce considerationibus patet, quod nisi valde perficiatur modus dirigendi in obiectum bellicum proiectilia quae ex longinquo proiciuntur, eorumque vim immanem destructionis accuratius computandi et limitandi ad tale obiectum, ista arma *contra urbes habitatas adhiberi non licet*, excepto casu quo ageretur de destructione obiecti bellici *summi valoris*.

c) quodsi tamen inimicus iam coeperit huiusmodi tormenta bellica *sine tali discrimine* adhibere contra urbes habitatas, non ita liquet cur per accidens po-

pulo ita iniuste invaso iam aliquando non liceat *etiam contra istius urbes* agere, si scilicet propriae regiones et incolae totali destructioni devoverentur, et econtra ipse hoc modo agendo bello mox finem imponeret. Tunc enim *facilius adesset causa proportionata permittendi* maiores destructiones et innocentium caedes in territorio inimico, si agatur de defendenda propria existentia contra inimicum qui iniuste aggreditur. *Nunquam tamen liceret*, ne in hoc casu quidem, per modum represalliorum aut propter alios fines, *directe* aggredi innocentes aut intendere eorum mortem.

QUAER. 3^o *An liceat cum probabilitate dumtaxat iuris sui bellum indicere.*

Resp. Controv. Plures affirmant; quia si licet cum opinione probabili litem movere, licebit et bellum indicere. Sed longe probabilior est sententia negans; tum quia in dubio melior est conditio possidentis; tum quia in causa sanguinis, qualis utique est bellum, quod multa insuper flagitia et damna secum affert, requiruntur probationes certae. (n. 404. H. A. n. 29.)

Hinc si probabile tantum est ius indicendi bellum, res amice componenda est; quodsi negetur, iam ius certum bellum declarandi oriri potest, si modo momentum litis malis belli sit proportionatum. Cfr. Vermeersch. II. n. 637.

QUAER. 4^o *An milites bellare possint cum dubio de iustitia belli.*

Resp. Dist. Affirm., si vel lege coguntur, vel iam ante bellum contractu conductionis ad militandum obstricti erant; quia isti tenentur in dubio Principi suo obedire. Princeps ergo diligenter examinare debet iustitiam causae.

Negat., si ultro bellare volunt; quia sponte se exponunt periculo committendi iniustitiam contra proximum. (n. 408.)

Plura quae cum dictis cohaerent vide supra n. 157. qu. 3; et praesertim infra n. 834 sequ., in specie n. 836. nota.